

ALLOQVIA ANIMÆ

Authore

VVENCESLAO
OTYK à Dobrzan, SS.
Theolog: Doctore, Missio-
nario Apostolico in Sile-
siâ, Canonico Collegiatæ
Superioris Glogoviæ, Pa-
rocho & Archipresby-
tero Freystadi-
Dom Prvensi. Crac S. J.

Glogoviæ Superioris,

Typis Illustrissimi Domini,
D. FRANCISCI EUSEBII
S. R. I. *Comitis ab Op-
persdorff. &c.*

Per Ioannem Castnerum, A. 1655


V
B J
G

EPISTOLA DEDICATORIA.

Illustrissimo Domino,

D. FRANCISCO EUSEBIO, S. R. I. Comiti ab Oppersdorff, &c.

SAlomon Regum sapientissimus bene fatur, Illustrissime Comes, dum asserit: *Eccles. c. 3. Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub cœlo. Tempus nascendi, & tempus loquendi. Tempus plantandi, & tempus evellendi, quod plantatum est.*

Et paulò poſt. *Tempus tacendi & tempus loquendi.* Addi huic peropportunè poteſt. Tempus laborandi, & tempus quieſcendi. Tempus in publicum prodeundi, & tempus in ſolitudinem recedendi. Ad hanc ſolitudinem Illuſtriſſime Comes, te variis & graviſſimis Reipublicæ Chriſtianæ negotiis diſtentum pro modicâ morâ quandoq; invito, ut in eâdem non tam corpore, quàm piâ intentione, devotione, ac mente, etiam intra lætiſſimos Arcis tuæ conclavium limites, numquã minùs ſolus, quàm ſolus exiſtens,

ſtens, recolligi, refici, illuminari, atque à curis & laboribus ſeculi reſpirare, ac more Bleſillæ unîus incluſus quaſi cellæ anguſtiis totâ cœli latitudine perfrui queas.

Etenim Teſte Bernardo. *Apud Sam: Loyaers Dominic. 4. Advent: fol. 64.* Anima in quiete fit ſapientior: hæc autem quies in ſolitudine commodiſſimè reperitur, cujus beneficio terrenarum rerum imagines ſenſibus & animo ſubtrahuntur, quarum conſpectus in Animâ noſtrâ aut cupiditatem, aut turbulentos paſſionum excitat motus. Et

 Ba-

Baſilio apud eumdem ibidē. Mens cum ad res externas nō diſſipatur, nec in mundum per partes, in quibus ſibi ſunt ſenſus, diffunditur, per ſeſe ad Dei notionem aſcendit, & cum ſummâ illâ pulcritudine illuſtratur, ſuæ quoq; naturæ obliviſcitur, ut nec alimenti, nec veſtimenti cura animum ſollicitet, ſed liberata terrenis curis, omne ſuum ſtudium ad comparanda bona ſempiterna transfert, quo nimirum charitatem, ſapientiam, & conſtantiam habeat & exerceat. Hinc ait Dominus. *Oſeæ cap. 2.* Ducam te

in

in ſolitudinem, & ibi ad cor tibi loquar. In hâc ſolitudinis Scholâ, Spiritûs Sancti magiſterio tantùm profecit Joannes, ut omnia Prophetarum oracula perdidicerit, & totam Evangelicæ legis Philoſophiam exhauſerit, atque ideo eo nullus major mulierum extiterit. Hieronymus contra Jovinianum. Sapiens numquam ſolus eſſe poteſt: habet enim ſecum omnes, qui ſunt & qui fuerunt boni: & animum liberum: & quocumq; vult transfert: & quod corpore non poteſt: cogitatione complectitur: & ſi

ſi inopia hominum fuerit, loquitur cum Deo: numquam bonus ſolus erit.

Iterum Hieronymus. *Epiſt:* 72. Quid deſideramus Vrbium frequẽtiam: qui de ſingularitate cenſemur. Mihi enim oppidum carcer eſt: ſolitudo paradiſus. Tertiò Hieronymus. Nullus cum ſolitudine conferri locus poteſt. Hic mille moleſtiis exemptus ſum, hic occaſionibus Deum offendendi careo, hic ſecretò & ex animi ſentẽtiâ cum Deo meo converſor. Bernardus. O Anima ſancta, ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves

ves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti; fuge publicum; fuge et ipsos Domesticos. An nescis te habere sponsum verecundum, qui nequaquam suam tibi velit indulgere præsentiam, præsentibus cæteris?

Unde demũ Cornelius Musius Martyr exclamat. *Apud Paulum de Barry secund. Medit. primæ diei fol. 34.* O beata solitudo! O sola beatitudo! Hactenus Illustrissime Comes, encomia solitudinis legisti; in quâ pro beneplacito subinde constitutus ne conversatione honestâ priveris,

 hæcce

hæcce Animæ Alloquia pro suavissimi & fructuosissimi discursûs materiâ, tibi suppeditare, ac dedicare ratus sum. Vale, viveq; bene tempori, ut gloriosus æternitati cum tuis vivas. Freystadii 20. Novembris, A. 1654.





VVENCESLAVS OTYK, &c.
S. P. D.

Lectori.

EN tibi curiose Lector Alloquia Animæ pando, non ut curiositatem tuam novo quasi loquendi genere pascam: verùm, ut mentem tuam studiis, curis atque laboribus labefactatam varietate rerum, lectionis, & conceptuum erigam, atque reficiam. Vale.

AUTHORES, qui in Alloquiis Animæ citantur.

A.

Abulensis.
Aeneas Sylvius.
Agellius.
Albertus Magnus.
Algerus.
Ambrosius.
Anastasius Nissenus.
Anastasius Sinaita.
Anselmus.
Antiochus.
Antoninus.
Antonius Magnus.

Antonius de Paduâ.
Apuleius.
Aristoteles.
Asterius.
Athanasius
Auctor imperfecti operis.
Augustinus.

B.

Basilius.
Beda.
Bernardinus Senensis.
Bernardus.
Bóètius.
Bonaventura.
Bruno.

C.

Cæsarius.

Cajetanus.
Christianus Druthmarus.
Chrysostomus.
Cicero.
Clemens Alexandrinus.
Concilium Viennense.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus.

D.

Diadochus.
Didymus Alexandrinus.
Dionysius Areopagita.
Dorotheus.
Dracontius.

E.

Ediverus Anglus.
Eleazarus.

Eli-

Eligius.
Ephræm.
Evagrius.

F.

Ferrerius.
Firmianus.
Franciscus Seraphicus.

G.

Guarricus Abbas.
Guido.
Gulielmus Durandus.
Glossa.
Gratianus.
Gregorius M. Papa.
Gregorius Nazianzenus.

H.

Hieronymus.
Hilarius Abbas.
Hippocrates.
Hugo Cardinalis.
Hugo Victorinus.
Humbertus.

I.

Jacobus de Voragine.
Jacoponus.
Jansenius.
Idelphonsus.
Idjota.
Ignatius Lojola.
Innocentius Papa Primus.
Joannes Climacus.

Joannes Cluniacensis.
Joannes Eusebius.
Joannes Gerson.
Joannes Osorius.
Isaias Abbas.
Isidorus Pelusiota.
Julius Firminus.
Julius Papa Primus.

L.

Lactantius.
Laurentius Justinianus.
Leo Papa.
Lucas Abbas.
Lucretius
Ludolphus Carthusianus.

M.

Macarius.

Majolus.
Maximus.
Menander Póëta.
Minutius.

N.

Nicolaus de Lyra.
Nilus.

O.

Oleaster.
Orientius.
Origenes.

P.

Pantaleon Diaconus.
Paschasius.
Paulus Palacius
Petrus Berchorius.
Petrus Blesensis.

Petrus Cellensis.
Petrus Chrysologus.
Petrus Damianus.
Philippus Abbas.
Philo Hebræus.
Philippus Nerius.
Pius Papa secundus.
Plato
Plinius.
Prosper.

R.

Raulinus.
Rubertus Abbas.

S.

Salustius.
Seneca.
Serenus.
Stephanus Macon Carthusianus.

Stobæus.
Sidonius Apollinaris.

T.

Tertullianus.
Theodoretus.
Theodorus Priſcianus.
Theodorus Studita.
Theophilactus.
Thomas Aquinas.
Thomas à Villanova.
Toſtatus.
Tritemius.

V.

Vincentius.
Vrbanus Papa Octavus.

Z.

Zeno Veronenſis.

Imprimatur.

GEORGIUS LAURENTIUS BUDAEUS à LOHR, Vicarius Generalis in Spiritualibus & Officialis Vratislaviensis, 20. Junii, Anno 1651.

ALLOQUIA ANIMÆ.

I.

ANima mea, miraris sæpe pulcerrimam mundi fabricam; Solis, Lunæ, ac stellarum splendorem; gemmarum auri & argenti fulgorem; elementorum virtutes, aliorumque Entium præstantiam; & te solam mirari negligis, cæteris omnibus admirabiliorem. Audi S. Augustinum dicentem: Omni *miraculo*, quod fit per hominem, majus miraculum

culum est homo. Cur igitur mentis in se oculos non flectat, atque etiam corporis, ut dũ se respicit, Conditorem suspiciat, & revereatur? miratur homo alia (ab eodem calamo hoc quoque est) cùm ipse mirator sit magnum miraculum?

2. Anima mea, modicum juvat, te diversarum artium notitiam habere, & tuimet ipsîus cognitione, artium arte carere. Audiendus Anselmus: Quantò inquit, magis ad mundum accedis, tantò longiùs à Deo recedis, quantò magis foris es sapiens, tan-

tò magis intus stulta efficeris. Qantò magis extra lucraris, tantò magis intus perdis. Quantò magis in tuis, quæ foris sunt, vagaris, tantò magis intus evacuaris. Quantò magis in temporalibus es sollicita, tantò magis in spiritualibus es mendica. Quid est, quod omnia ordinas, & teipsam non vis ordinare? quid in omnibus es prudens, & circa teipsam insipiens? *Quid* est, quod omnia, quæ foris sunt, sollicita es bona facere, & teipsam sinis esse malam & inutilem? multæ sunt scientiæ hominum, ait Hugo Victo-

Victorinus, ſed nulla melior eſt illâ, quâ cognoſcit homo ſeipſum. Sed in quo conſiſtit notitia ſui ipsîus? Reſpondet Bernardus. Homo ſe intuens clarâ luce veritatis, inveniet ſe oneratum peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatum, terrenis curis intricatum, carnalium deſideriorum fece infectum, multis erroribus implicitum, mille periculis expoſitum, mille ſuſpicionibus obnoxiū, mille neceſſitatibus ærumnoſum, proclivem ad vitia, invalidum ad virtutes, timoribus trepidum, mortis neceſ-

ſitati ſubjectum.

3. Anima mea, quam cauſam habes ſuperbiendi? cùm corpus cui es unita, formatum ſit de luto, ut haberes ſuperbiæ remedium, fomentū humilitatis, teque demitteres te intuens. Raulinus de hâc re ita Philoſophatur: Deus in compoſitione humani corporis parum poſuit de aliis tribus elementis, & multum de luto, multum de terrâ; quia dura, ne deliciis homo molleſcat; quia gravis, ne ſuperbiâ elatus contra ſui naturam ad alta evolet. Addit: de igne parum habuit, ut de igne

igne concupiſcentiæ & iracundiæ parum haberet. Hinc enim (inquit Baſilius) ſi quando te adoriantur cogitationes, quę cordi inſerant tumorem ſuperbiæ, flammamq́; accendant elationis; è vicino habes, quod te tuæ commonefaciat humilitatis, & ad manu eſt, quod nos ultrò moneat, quàm nihili ſimus. Demitte in terram oculos, deinde attende, quod ex re quâpiam iſti terræ congenere nempe vili pulvere formata es. *Ita* enim legimus in Gen: *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Quâ ſui notitiá

instructus Abraham dixit: *Loquar ad Dominum meum, cùm sit pulvis & cinis.*

4. Anima mea, si scire cupis, quid ex erectione corporis (quod est virtutum Schola) discere debeas, ausculta Lactantium ita disserentem. Cùm statuisset Deus ex omnibus animalibus solum hominem facere cœlestem, cetera universa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemque constituit, scilicet ut eadem spectaret, unde illi origo est. Illa verò depressit ad terram, ut qui nulla his immortalitatis

expe

expectatio est, toto corpore in humum projecta, ventri pabuloque servirent. Hominis itaq; solius recta ratio, & sublimis status, & vultus Deo Patri communis, ac proximus, originem suam, fictoremque testatur.

5. Anima mea, ex nuditate corporis documenta sumere potes, quibus, ut ita loquar, vestiaris, quin & exorneris. Festivè S. Ambrosius: Ideo, inquit, nudi seculo nascimur, nudi etiam accedimus ad lavacrum, ut nudi quoque, & expediti ad cœli januam properemus Quàm

autem incongruum, & absurdum est, ut quem nudum mater genuit, nudum suscipit Ecclesia, dives intrare velit in cœlum? Pulcrè cuilibet isthuc occinit S. Orientius.

Venisti in mundum nudus, nudusque redibis.
Nil tecum attuleras, ferre nihil poteris.

6. Anima mea, noluit Creator tuus, corpus immensę esse magnitudinis, sed exiguæ mensuræ terminis contineri, ne molis vastitas tumorem animo affricaret. Perpensè Theodoretus: Non ex infir-

mitate Conditoris, inquit, *tantula* hominibus est prescripta mensura, quando in proclivi illi fuisset, multò etiam majores facere, sed ut superbiæ tumorem reprimeret. Nam si in tantillo corpore non inter se modò, sed in ipsum Conditorem superbiunt, quid intentatū reliquissent, si vasto corpore extitissent? Quàm magnos à suâ magnitudine Spiritus hausit Goliath; Superbiæ materiam saltem ab hac parte Deus submovit, cùm humani corporis molem inter tam exiguos terminos conclusit.

7. Anima mea, discas à membris corporis, alteri non invidere, nocere nulli, juvare omnes, omnibus compati, nulli detrahere, neminem lædere, nec officium, quod in alios exercere potes, denegare. Aptissimè in hanc rem habet S. Ambrosius, ait enim: Et si quid dolet membrum unum, compatiuntur ei membra omnia Unde quàm grave est, ut detrahamus aliquid ei, cui nos compati oportet: & cui debemus *consortium* ministerii, ei fraudi & noxæ simus? Hæc utique lex naturæ est, quæ nos ad omnem strin-

ſtringit humanitatem, ut alter alteri tamquam unius partes corporis invicem deferamus. Nec detrahendum quicquam putemus, cùm cōtra naturæ legem ſit, non juvare. Sic enim naſcimur, ut cōſentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obſequantur ſibi mutuo miniſterio. Quod ſi unum deſit officio ſuo, impediantur & cætera; ut ſi eruat oculum manus, nonne ſibi operis ſui uſum negavit? ſi pedem vulneret, quantorum ſibi actuum profectum inviderit? Et quantò gravius eſt to-

tum hominem, quàm unum membrum detrahi? jam si in uno membro totum corpus violatur, utique in uno homine communio totîus humanitatis solvitur, violatur natura generis humani, & sanctæ Ecclesiæ congregatio, quæ in unum connexum corpus, atq; compactum unitate fidei, & charitatis assurgit. Christus quoque Dominus, qui pro universis mortuus est, mercedem *Sanguinis* sui evacuatam dolebit.

8. Anima mea, corporis pulchritudo Deum prædicat Artificem, teque ad Deum invitat

invitat, dum Deum prodit. Egregiè Minutius: Ipsa præcipuè, inquit, formæ nostræ pulcritudo Deum fatetur artificem, status rigidus, vultus erectus, oculi in summo velut in speculâ constituti, & omnes cæteri sensus velut in arce compositi; longum est ire per singula: Nihil in homine membrorum est, & quod non & *necessitatis* causâ sit, & decoris, & quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quędam unicuique lineamenta deflexa: & sic similes universi videmur, & inter se singuli dissimiles invenimur.

9. Ani-

9. Anima mea, quodlibet membrum maximè vitat, maximè timet á reliquo corpore ſeparari; tacitè te monens, ne à Chriſti corpore odii & diſcordiæ veluti ferro te ſinas abſecari. Bene Beatus Laurentius Juſtinianus: *Quia*, inquit, videmus unum membrum timere ab aliis ſeparari: Sic, nihil debet tam formidare Chriſtianus, quàm ſeparari á Chriſti corpore: ex quibus patet modus dilectionis, quam erga proximum habere debemus. Timent membra à corpore ſeparari, & Chriſtianus adeò non timebit,

bit, ut ſponte hanc ſeparationem eligat, atque etiam faciat?

10. Anima mea, ſicut corporis membra ſuas leges ſervant, ita te tuas ſervare oporteret, *illis* amplius ligatam, quò magis liberam, & ita membra corporis excolere, ut Deo fruges, non ſpinas producas. Aurea verba ab aureo ore accipe, ita enim philoſophatur S. Chryſoſtomus: Hæc tibi locavit, non ut feras Spinas, ſed ut convertas ſemina ad id, quod eſt utile: non ut arrogantiam, non ut dolum, ſed ut humilitatem, & laudē,

ac benedictionem, ut dilectionem facias per ea germinare, & dedit oculos, non ut impudicie aspicias, sed ut ipsos omnes temperantiâ: *& manus* non ut ferias, sed ut miserearis. quomodo autem dicis, labia nostra sunt apud nos, quando ea peccati serva feceris, quando formicationis, quando immunditiæ? Ad Garamantas ergo (Bonus quidam Auctor inclamat) & ultimos Indos exulent, qui membrorum sanctimoniam prophanant; manus rapinis, pedes insidiis, oculos lasciviâ, calumniâ lingvam aures

nugis,

nugis, cerebrum ſtultitiâ, vẽtrem voluptatum obſcœniſſimis ſervitiis.

11. Anima mea, quemadmodum membra membris non tantùm non ſunt oneri, ſed etiam ſe mutuò juvant, ita tu proximo non tantùm non debes obeſſe, ſed etiam prodeſſe. Bene Raulinus: Sicut oculus non ſolum videt ſibi, ſed pedi, & manus, non ſolùm operatur ſibi, ſed ori, imò totum corpus, quantum in ſe eſt ab incommodis protegit, & pes non ſolùm portat ſeipſum, ſed corpus totum, ſic debemus eſſe ſolliciti

citi non solùm pro nobis, sed etiam pro proximis nostris, & maximè defunctis. Vix dicas vivere, certè in iis pietas non vivit, qui mortuorum negligunt curam, & semel sepulchro tectos, quodam oblivionis condunt sepulchro. De quibus Concilium Viennense ita loquitur: Hi enim tales, quasi egentium necatores, nec credentes in judicium Dei, habendi sunt.

12. Anima mea, cùm corpus Dei templum, Deoque sacratum sit, fit, ut tibi magnâ cum reverentiâ sint tractanda ejus membra. Hoc de

dealienis (quod tu propriis applicabis) membris afferebat S. Ephræm his verbis: Membris alterius reverenter, ac cùm timore manus admoveto, quaſi rem aliquam ſanctam attingeres. Etenim verè ſanctum eſt templum Domini, & admirabile in juſtitiâ, ſecundùm illud ſcripturæ: Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum DEUS. Templum enim ſanctum eſt, quod eſtis vos.

13. Anima mea, ſi naturam tuam

tuam ſpectes, mori non potes, niſi quod quamdam mortem ſubis, dum terrenis hæres, amaſque peritura. Itarem conficit Beatus Iſaias Abbas: Quemadmodum, inquit, animalia terreſtria, ſi in aquâ demerguntur, intereũt, quoniã ſunt è naturâ terrenâ. Piſces autem in terram extracti moriuntur quoniam ex aquæ naturâ ſunt. Volucres verò in aere quieſcunt, quod ſi in terram deſcenderint, timent ne capiantur; ſic & anima, ſi à propriâ naturâ deflexerit, ſtatim interimitur. Quamobrem qui divinis illis munc-

muneribus donati sunt, mundi fraudes, & dolos reformidant, ejusque fugiunt consuetudinem, ne in laqueos, & mortem incidant. Talis Anima, ne si velit quidem, potest mundum diligere.

14. Anima mea, in corpore pleraq; membra duplicia sunt, tu verò unica in ipso, ut te unicè custodire satagas: nam si pereas, non adest alia, quæ tuas vices obeat. Huc reducit S. Chrysostomus, cujus hæc sunt verba: Omnia nobis duplicia Deus dedit, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes. Si igitur

horum

horum alterum lædatur, per alterum necessitatem consolamur. Animam verò dedit unam nobis: Si hanc perdiderimus, quonam vivemus? Totius Christianæ summam redegit in pauca, Antiquus ille Pater, qui rogatus aliqua quæ ad Christianam perfectionem spectarent, digerere, hoc tantùm prodidit. Unus est Deus, una est Anima, & unâ tantum vice mors obitur. Papæ quàm multa, quàm paucis dixit! Unus est Deus, adeò ut illo per peccatum à misso non sit alius, ad quem catur. Una est Anima, ut si pereat,

pereat, alterius salute hanc ruinam minuere nemo potest. Semel morimur, quod si primâ vice quis malè moriatur, errorem suum repetitâ morte nequeat emendare.

15. Anima mea, perpende quid corpus à te accipiat, & disces, quid honoris, quid reverentiæ, quid curę impendere illud tibi debeat. Præstat hîc sistere, quæ habet S. Bernardus, dum corpus tuum ita affatur. Da inquit, honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tuâ, Anima verò peregrina, & exul apud te est hospitata.

Quæso te, quis Rusticus; si fortè Nobilis, & præpotens quispiam apud eum voluerit hospitari non libenter in angulo domûs suæ, aut sub gradibus suis, vel in ipsis cineribus accubabit, cedens hospiti suo locum (sicut dignum est) potiorêm? Et tu ergo fac similiter. Injurias, vel molestias tuas ne reputaveris: tantùm ut hospes tuus honorificè possit apud te demorari. Honor tibi est, ut pro eo interim te exhibeas inhonorum. Ac ne fortè despicias, aut parvipendas hospitem tuum pro eo, quòd peregrinus tibi videtur

detur & Aduena: diligenter attende, quid hospitis hujus tibi præsentia largiatur. Ipse enim est, qui tribuit oculis visum: auditum auribus præstat: ipse est, qui linguæ vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat. Si quid vitæ, si quid sẽsûs, si quid in te decoris est, hujus hospitis beneficium recognosce. Denique discessus ejus probat, quid præsentia conferebat.

16. Anima mea, quod tu es in corpore & præstas, id etiam in mundo esse & præstare discas, ut notas Christiani habeas.

habeas. Dabo, quod in hâc re dedit ſanctus Juſtinianus Martyr, à cujus verbis aliquid ſupprimere religio fuit: Ut ſemel, inquit, omnia complectar, quod eſt in corpore anima, hoc ſunt in mundo Chriſtiani. Diſperſa eſt per omnia corporis membra Anima, & Chriſtiani per mundi Civitates diſperſi ſunt. Habitat quidem in corpore Anima, ſed non eſt è corpore: ſic & Chriſtiani in mundo habitant, ſed à mundo non ſunt. Inviſibilis Anima in viſibili corpore, tamquam in præſidio conſtituta eſt: ſic & Chriſtiani

ſtiani cognoſcuntur, dum in mundo commorantur, ſed inviſibilis eſt eorum cultus divinus. Odio proſequitur Animam caro, & bellum ei movet, nullâ affecta injuriâ, quòd voluptatibus frui prohibeatur: odio proſequitur & mundus Chriſtianos, nullâ affectus injuriâ, quoniam voluptatibus repugnant. Anima carnem amat, quæ ipſam Summopere odit, & amat membra: ſic etiam Chriſtiani amant oſores. Incluſa quidem eſt Anima corpore, ſed ipſa corpus conſeruat: ſic & Chriſtiani detinētur qui-

dem in mundo, tamquam in custodiâ, sed ipsi mundum conservant. Immortalis Anima in mortali tabernaculo habitat: & Christiani illa, quæ corruptioni sunt obnoxia, tamquam inquilini incolunt, incorruptibilitatem cœlestem expectantes. Anima, dum cibo & potu malè tractatur, fit melior, & dum Christiani suppliciis afficiuntur quotidie, numerus eorum crescit.

17. Anima mea, ab imperio, quod in corpus exerces, discas ipsa Deo obedire; alioquin rectè regere non potes, nisi

nisi te sinas regi. [Opportunè S. Augustinus: Accepit, inquit, homo corpus, tamquam in famulatum, Deum autem Dominum habens, corpus servum, habens supra se Conditorem, infra se, quod sub illo conditum est: In medio quodam loco rationalis Anima constituta, legem accepit parêre superiori, regere inferiorem; regere non potest inferiorem, nisi regatur à meliore. Trahitur ab inferiore? deseruit ergo meliorem: non potest regere, quod regebat, quia regi noluit, à quo regebatur.

18. Anima mea, si scires alicubi thesaurum latêre, quàm sedula accurreres, ut terram foderes, thesauro potitura! diligentia ista, negligentiam tuam arguit, cùm in corporis agro latentem thesaurum habes, & fodere negligis. Scitè Guarricus Abbas. Vellem, inquit, foderes intra te. Solent namq; pretiosi latêre thesauri in abditis terræ. In agro absconditus erat thesaurus ille, qui desiderio sui compulit hominem omnia sua vendere. In agro se dicebant thesauros absconditos habere decem

Viri

Viri Iſraelitæ, & per hoc gladium evaſerunt homicidæ. O quanti theſauri bonorum operum, quantæ divitiæ piorum fructuum abſconditi latent in agro humani corporis, & quantò plures in abdito cordis, ſi modò ſit, qui exerceat, & fodiat.

19. Anima mea, membra omnia uni conſecres Deo, tunc verè tua futura, cùm illius obſequio erunt mancipata. Totum ſibi habeat, qui totum fecit. Omnia membra, dicit S. Gregorius Nazianzenus, quæ ſunt ſuper terram Deo demus, omnia con-

fecremus, non autem fibram solùm hepatis, non renes cũ adipe, non partẽ quamdam corporîs, non hoc, aut illud. (cur enim alia contemnamus?) verùm nos totos offeramus: simus holocausta ratione prædita, victimæ perfectæ: nec brachium solùm, aut pectusculum sacerdoti attribuamus (nimis enim parvum hoc fuerit) verùm nos ipsos Deo in munus offeramus, ut nos totos recipiamus; quandoquidem hoc est planè accipere, Deo donatum esse.

20. Anima mea, sià corpore

pore membra inter se confe-
ras: Ista Deus ita disposuit,
ut unum alteri servire posset,
& mutuo se auxilio fovere.
Specta singula membra, Di-
ceres alterum alteri natum,
mutuæ haud dubiè charitati
commendandæ. Peritè Pe-
trus Blesensis: Illud, inquit,
in proximi dilectione note-
tur attentiùs, quod ipsa natu-
ra corporis nostri ad mutuę
charitatis observantiam nos
informat. Multi enim unum
corpus sumus, alter verò alte-
rius membra, unus autem
spiritus universa membra vi-
vificat, eorumque compages

mutuis obsequelis, & alternâ compassione conciliat. Oculus non solummodo sibi videt, sed dirigit gressus pedũ: os non solum sibi cómedit, nec stomachus sibi soli digerit, sed utrumq́ue communi utilitati membrorum deservit. Lingua si quod membrum læditur, molestiam illîus, compassionem suam faciens, lædentem redarguit dicens: quid me lædis? tot de communi utilitate sollicitũ, consilia membris omnibus profutura disponit. Manus quæ quandoq́ue nec famulari membris abjectioribus erube-

rubeſcunt, ſe in uſum publicæ utilitatis exercent: quod ſi manus una caſu aliquo fortè lædat alteram, illa quæ læſa, non repercutit, nec ſe erigit in vindictam. Manus autem quæ lædit quaſi ſeipſam accuſans, remedia meliora, quæ poteſt, læſæ ſorori apponit, & ex humilitate, & ſollicitudine ſuâ ſibi indulgeri poſtulat, & omnem ſuſpicionem malitię, ſtudio ſollicitę compaſſionis eliminat. Vides ut omnia membra in aliorum auxilium facta videantur? Audis, ut omnia ſui exemplo ad proximi dilectionem te vocent?

21. Anima mea, hoc quoque in membris expende, nõ licere tibi pro libito ea rejicere, & á reliquo corpore abjungere, cùm in illa plenũ jus non habeas, licet videaris habere. Quod in eos torquet Beatus Asterius, qui plenum ſibi rerum externarum dominium uſurpant. præſtat ejus verba audire, & ſunt iſta. Nec ipsîus noſtri corporis domini ſumus; ſed Oeconomi tantùm, ac diſpenſatores: quicquid enim legibus, ac præceptis adſtringitur, ipſi ſubditum, & obnoxium eſt Legislatori. Quod ſi igitur

ne

ne ipſæ quidem corporis noſtri partes, ac membra liberá, ſuique juris ſunt, ſed voluntate Domini ad functiones ſuas diriguntur, & gubernantur: quid his dicemus, qui ſibi perſuadent, auri, argenti, agri, cæterarumque rerũ plenam ſe poſſeſſionem, merumque dominium habere? nihil omnino tuum ô bone: tu ſervus es, & omnia tua Domini, quia ſervus liberum peculium non habet.

22. Anima mea, licet membra, diverſa munia exerceant, & aliud alio nobilius, non tamen ullâ tanguntur invidiâ.

Hanc

Hanc eamdem mentem imbibere debes, adeo ut non sinas te invidiâ corripi, cùm vides proximum tuum sublimiori gratiâ donari, nobiliori dono insigniri, quàm ipsa insigniaris. Festivè rem urget Beatus Laurentius Justinianus, cujus hæc observatio est, hæc verba sunt in hoc, quod unum membrum nõ invidet alii membro: licet nõ habeat idem officium. Non omnia namque eumdem actum habent membra: nec tamen sibi invicem invident: sic nec debet aliquis invidere proximo suo habenti gratiam, quam ipse non habet. 23.

23. Anima mea, membrorum integritas tacitè inclamat, ut in omnibus te virtutibus exerceas, negligas nullam. Ut enim unius membri carentia, aliorum decorem obtundit, inficit cæterorum venustatem, sic accidit in virtutum (ut ita loquar) corpore, si unâ destituaris. Integram te volebat Apostolus, cùm diceret, ut esses sancta corpore, & spiritu; corpore dixit, ut ad omnia, membra sanctitatem extenderes; Spiritu, ut ad omnes animi facultates, & potentias porrigeres puritatem. Opportunè rem expen-

expendit sanctus Hieronymus: Non dixit, inquit, ut esses sancta membro, aut corpore tantùm, sed ut esses sancta corpore, & spiritu. Membrum enim una corporis pars est. corpus verò omnium compago est membrorum. Cùm ergò dixit, ut esses sancta corpore, omnibus membris te sanctificari debere testatur, quia non proderit sanctificatio cæterorum membrorum, si inveniatur in uno corruptio. Eadem & Spiritus est ratio, mentis omnes facultates litare sanctitati debent, innocentiæ omnes deservi-

ſeruire, ne unius defectus, redundet in alias.

24. Anima mea, placeat audire, quæ muta, ſilentiaque membra docēt, dum dolore aliquo afficiuntur. Hæc membris indicta eſt lex, quam dum ſervant, indicunt, ut ſi contingat aliquod aliquo dolore corripi, illîus ferè obliviſcatur, ſi aliud major invadat, totumque in graviùs laborantis auxilium currit, tamquam ipſum dolorem non ſentiret. Hinc illud Tertulliani: Non poteſt corpus de unîus membri vexatione lætum agere, condoleat univerſum,

versum, & ad remedium collaboret, necesse est. Quæ res clamat, in proximi tui casu, ac calamitate, dolore corripi te debere, ut tamen de remedio cogites, tamquam si de re tuâ ageretur, cùm agitur de alienâ.

25. Anima mea, specta singula membra; mentior si non ab illis discis, qui livoris omnis expers lætari de alterius bono debeas, non secus ac de tuo. Pulcrè rem versat Beatus Justinianus, dum ait: Singula Universorum bonū cupiunt, malum verò declinant, nec non de communi com-

commodo tamquam de proprio collætantur. Cur in proximum homo non præstet, quod membra in membra præstant? dolorem à nobis aliorum mala eliciant, lætitiam verò, quæ bona, & læta in illis videmus. Huc facit & illud sancti Chrysostomi, qui ita Philosophatur de hâc re. Si pulcri appareant, oculi ornatur tota mulier: sicut ii quoque cùm & rectus nasus, & collum rectum, & alia membra laudantur, gestiunt, suntque læti & alacres: & rursum affatim fundunt lacrymas, in eorum doloribus, &

calamitatibus, etiamsi ipsi permaneant illæsi. Hæc ergo omnes cogitantes, imitemur horum membrorum dilectionem: neque contraria faciamus insultantes malis proximi, & proximi malis invidentes: hoc est enim furentium, & eorum, qui sunt insanæ mentis. Etenim qui effodit oculum, maximum judicium profert desipientiæ; & qui manum excedit, insaniæ planè prodit argumentum. Si autem, quod fit in membris, hoc etiam similiter fiat in fratribus, desipientiæ tribuit opinionem, & non vulgare damnum affert. 26,

26. Anima mea, ſicut membra corporis utiliora faciliùs, & vehementiùs læduntur, & majoribus ſunt periculis obnoxia: Ita tu, quò ſublimiori in ſtatu exiſtis, eò majoribus diſcriminibus es expoſita, léderis faciliùs, faciliùs & lædis. Benè Bonus, licet Nuperus Auctor: Quantò membra ſunt nobiliora, tantò vehementiùs, & citiùs ſentiunt cujuslibet læſionis moleſtiam. Unde oculus graviùs læditur modico pulvere, quā manus magno vulnere. Sic peccata & delicta Majorum & graviora, & periculoſiora ſunt,

ſunt, quàm aliorum tum propter ſtatum, tum propter ſcandalum: quod enim à Majoribus delinquitur, facilè trahitur á ſubditis in exemplum.

27. Anima mea, habes prę-terea in tuis membris amicitiæ veræ ſpecimen, fraternæque charitatis exemplar. Mutuò enim ſe membra amant, ſe jůvant mutuò, ut nec labor, nec infirmitas, aut debilitas amorem hunc aut tollat, aut impediat, quin perficiat potiùs. Beatus Laurentius Juſtinianus de corporis membris loquens hæc habet: Humani

mani corporis quicumque, prudenter voluerit conside-rare ministerium, maximum spiritualis eruditionis pote-rit reperire arcanũ, quo me-diante fraternæ charitatis di-scet servare unitatem. Non labore attrita, non infirmi-tate lassata, neque confecta senio mutuæ affectionis in-termittunt opus.

28. Anima mea, si vis glo-riari, glorieris in teipsâ, cùm in sacris litteris Gloria dica-ris. Præclarè Agellius: Hoc, in-quit, maximè insigendum est Animis, à Divinâ scripturâ, & Spiritu sancto Animam hu-manam

manam vocari gloriam, quâ unâ re homo cæteris omnibus corporeis rebus excellit, quamque gloriam illibatam servare maximo studio quisque debet, ne turpitudine aliquâ vitiorum inquinetur. Animam gloriam non putat, qui ab eâ Deum rejicit, ut pro Deo rerum terrenarum reponat stercora. Rem graviter urget Joannes Eusebius, dum ait: An doctus homo aut integer mente, aut fidelis potuit esse, qui ex aureo sacrario, deputato, ut asservetur ibi Eucharistia, abjecisset corpus Christi, ut loco illius

lîus deponeret lutum? quomodo ſapiens eſt, qui ab Animo, divino ſacrario, expellit ipſam Divinitatem complacentem ibi, & ſubſtituit ejus loco non ſtercora, ſed fœdiora vitia, & concupiſcentias ſordidiores? poteſt inſania major, & intolerabilior amentia cogitari? Adeóne tam vilis homini eſt Anima, cujus comparatione omnia corporea ſunt vilia?

29. Anima mea, Nonnemo inter te & corpus nobile conjugium agnovit; ſit. at tu Viri locum tenes, corpus ſequioris ſexûs? Nulla; inquit, glorio

gloriosior Affinitas, inquit, scitus ille Auctor, quàm corpus animæ rationis conjūgi, & quæ Dei imaginem indelebilem ferat, quasi conjugio longè jucundissimo, atq; inseparabili copulari. Felix conjugium, si se mutuò foveant, mutuò auxilientur, nec corpus Animam impediat salutem suam quærentem, cùm unîus bonum in alium resiliat, ut in conjugio solet. Utilis in hâc re cautio, quam exhibet mellifluus Doctor, dum corpus alloquens, ait: Noli ô corpus, noli præripere tempora: potes enim impedire

pedire animæ tuæ salutem, tuam ipsius operari non potes. Omnia tempus habent. Pátere, ut nunc Anima prose laboret, magis autem etiam collabora ei, quoniam si compateris, & conregnabis. Quantùm ejus impedis reparationem, tantùm impedis tuam: quòd nimirum antè reparari non poteris, donec suã in eâ Deus imaginẽ videat reformatã. Nobilẽ Hospitẽ habes ô Caro, nobilẽ valde, & tota salꝰ tua pẽdet de ejꝰ salute. Da honorẽ hospiti tanto. Alioquin si hospitis tanti, imò & mariti salutẽ, impedis, im-

pedis tuam, & hostis tui es, si hostis sis Animæ.

30. Anima mea, cùm sit invisibilis tua excellētia, visibilē eā reddere excellētioribus operibus satage, ac probare. Unde enim, inquit Auctor ab aureo ore, nos Animâ præditos esse cōstat? an nō ex actionibꝰ? cùm igitur suis ipsa muneribus non fungitur, an non mortua est? Verbi gratia, cū virtutis cura non tenetur, sed aliena rapit, ac flagitiosè vivit. Unde enim queam dicere, Animam tibi in esse? an quòd ambules? at hoc bruta etiam habēt. An quòd edas, ac bibas?

bas at hoc ferarũ quoque eſt. An quòd recto corpore ſis, ac duob9 pedib9 inſiſtas? at hoc mihi potiùs indicat te belluã humanâ formâ eſſe. Nam cùm cætera eadem tibi cum belluâ ſint, erectio autem non item, nimirum hoc ipſo vehementiùs me turbas, ac perterrefacis, magiſque portentum id eſſe exiſtimo, quod cerno. Etenim ſi feram humanâ linguâ loquentem cernerem, non propterea hominem eſſe dicerem: quin hoc ipſo nomine potiùs feram, quàvis alia ferâ prodigioſiorem. Unde ergo mihi explo-

ratum esse queat, humanam animam tibi inesse, cùm ut asini calcitres, ut cameli memor sis injuriarum, ut ursi mordeas, ut lupi rapias, ut vulpes fureris, ut serpentes vafer, ac fraudulentus sis, ut canis impudenter te geras? Unde, inquam, te humanâ animâ præditum esse, intelligere queam?

31. Anima mea, tui cum corpore nexus & mutua cōpactio te monet, ut ea præferas, quę sunt potiora, quæque teipsam referunt, iis anteferantur, quæ corpus; & statim tibi sacerdotalis objicitur dignitas,

gnitas, si illâ emicas. Hinc illud Isidori Pelusiotæ: Ex sacerdotio & regno, rerum administratio conflata est, illud enim velut Anima est, hoc velut corpus. Regnum corpus refert, sacerdotium Animæ: scilicet quantùm Anima corpori præstat, tantò dignitas sacerdotalis Regiam excellit. Audite Reges & vos demittite; audite sacerdotes, & plus quàm Regiam mentem circumferte, moribusque vestræ celsitudini respondere.

32. Anima mea, lenitas carnis tuæ ac mollities cla-

mat, ne scilicet facilè ejus illecebris te sinas decipi, cùm asperitate omni, asperior lenitas ista sit; & omni hostilitate sævior blandities ista. Præstat hîc audire, quæ habet Beatus Laurentius Justinianus: Laboriosa, inquit, prorsus, & ad superandum difficilis est carnis illecebra, quæ die, noctuque spiritui infesta sentitur, foris habet cui adhęreat, & contra quē sęviat intus, propagatur in carne, coalescit in tempore, enutritur in vitiis, neglecta roboratur, & quum dominatur, interimit, numquam rationis

legibus cedit, numquam superata quiescit, semper floret, semper viget, semper suâ importunitate decertat, serpit continuò ut cancer, sævit ut ignis, rugit ut leo, tumet ut coluber, insidiatur ut latro, cœno volutatur ut aper, sat numquam dicit ut infernus, commaculat naturam, & inflammat totum corpus nativitatis inflammata à gehennâ. Nihil hîc tutum, nihil non timendum est, sævitiam ab omni parte evomit, licet blandiatur.

33. Anima mea, multùm tuæ carni debes, per hanc

quippe cognationem cum Christo Salvatore tuo contraxisti, quâ Angeli carent, quia carent carne. Pulcrè Jobius Monachus sic carnem efferebat. At heus tu Angelicæ cognationis Amator, majore etiam munere dignus es habitus. Nam Cognati jam Christi per carnem effecti sumus. Carnem Christo Sororem Tertullianus dixit; Ipsa inquit, Christi soror est. Qui carnem Christo sororem habet, cavere debet, ne carne fiat hostis Christi. Hanc cognationem cum Christo abjurat, qui ut carnem suam nutriat,

triat, foveatque, Christi legem temerat, sævit in Christum.

34. Anima mea, velamen tuum caro est, ac proinde curare debes, ut abstinentiâ tenue hoc velamen reddatur, & veluti transparens, quò celeriùs moveri in Deũ tu possis, non carnis quâdam crassitie præpediri. Excellenter rem versat Thomas à Villanovâ, dum ait: Nunc quò velamen hoc tenuius est, ac transparentius, eò anima celeriùs movetur in Deum & magis in eâ impetus viget amoris. Quorumdam autem

velamen carnis crassissimum, & nimiâ rerum opulentiâ impinguatum, quorum motus in Deum, aut nullus, aut lentus: quorumdam verò ita vigiliis, abstinentiis, aliisque laboribus velamen carnis attenuatum, & attritum est, ut propter ejus transparentiam lux illa beata jam oculis animæ aliqualiter transfulgeat; quemadmodum Apostolùs ait: Videmus nunc per speculum in ænigmate; Unde & ad ipsum in odorem unguentorum suorum currunt. Quòd si quandoque contingat per rimulas quasdam, & vela-

velaminis rupturas, radios illos divini Numinis oculos Animæ, vel ad modicum ful gurare, tunc liquescit præ amore, & rapido impetu fertur in ipsum, non jam odore, sed decôre ejus attracta.

35. Anima mea, non nudã te Deus creavit, sed dedit & corpus, & corporis sensus; varias dedit potentias, ut dum plura regeres, & sub imperii quâdam disciplinâ retineres, plus mereteris? in quâ re Angelis es prælata: Angelis quippe nudus datus est spiritus, quem custodirent; tibi licet debiliori, & Spiri-

rum

rum & corpus DEUS dedit, ut geminâ hâc curâ ad Angelorum gloriam eveheretis, facta Angelis par. Benè Philosophatur Joannes Eusebius: Corpus tibi copulavit, ô homo, ut quot sensus habet, & divisiones potentiarum Animæ, tot organa meritorum haberes, tot scilicet cruces istâ corporis suppellectili supra Angelos locupletaris: plus voluit de te confidere Deus, ut inveheres in coelum gravissimum fimum terræ. Angelis solùm cura fuit imposita, unicum, & sincerum spiritum suum servare: at humanæ

manæ Animæ cùm debilioris sit naturæ, duplicata sunt onera imposita, & se & carnē molestam evehere ad æqualitatem Angelorum, & gloriam cœlestem.

36. Anima mea, quinque sensus corporis, quinque Viri tui dicuntur, ut dum tibi junguntur, bonorum operū fœcunditate illi gaudeant. Festivè Hugo Victorinus ad illud spectans, quod Samaritanæ Christus dixit, quinque videlicet illam Viros habuisse; sic enim rem versat: Quinque Viri sunt quinque sensus corporis, qui ideo rectè di-

cuntur Animæ Viri, quia illi naturaliter sunt copulati, ut per eorum conjunctionem bonorum operum habeat fœcunditatem, & proferat prolem. Alioquin mundo, & diabolo nubunt, si malorum edant fœtus.

37. Anima mea, à quinque sensuum custodiâ salus est, ab illorum neglectu interitus & perditio. Rem ita deducit Raulinus. Quintâ die factæ sunt aves, & volatilia super terram, quia qui sensibus corporis bene utuntur, se à fluctibus, pennis contemplationis sustollunt in altum? Hinc

in valle ſodomorum fuerunt quinque Civitates ſubverſæ, quia malè fuerunt ſenſibus corporis uſæ. Ad eorumdem cuſtodiam hortatur etiam S. Hieronymus. Per quinque ſenſus, ait, quaſi per quaſdam feneſtras, vitiorum ad animam introitus eſt. Non poteſt ante Metropolis, & arx mentis capi, niſi per portas ejus irruerit hoſtilis exercitus, horum perturbationibus Anima prægravatur, & capitur, aſpectu, auditu, odoratu, ſapore, tactu. Si Circenſibus quiſpiam delectetur; ſi Athletarum certamine; ſi mobili

tate

tate Histrionum; si formis mulierum, splendore gemmarum, vestium, metallorum, & cæteris hujuscemodi, per oculorum fenestras Animæ libertas capta est, & impletur illud Propheticum: Mors intravit per fenestras. Scilicet morti, & interitui fenestram aperit, qui sensuum fenestras non custodit.

38. Anima mea, ut magnũ à sensibus omnibus tibi periculum immineat, imminet tamen magis à tactu, adeo ut quò latiùs se iste sensus in corpore porrigit, eò in majores te redigat angustias, &

majora invehat damna, nisi coërceatur, ut jure monuerit sanctus Gregorius Nazianzenus: Tactum rabie laborantem coërceamus; Hostis sensus iste est, & illo contra te maximè utitur Satanicus hostis, quia novit illum aptiorem sui in te sævitiei ostendendæ. Bene Bonus ille Auctor: graviùs tentat diabolus per gustum & tactum quàm per alios sensus, cò quòd fortiores sunt impressiones delectationum in illis ratione corruptionis naturæ ex peccato originali: Ferax etiam dolorum plurimùm

iste est sensus, ut dū eis urgereris urgereris ad Deū. Opportunè Guido inclamat: ô homo, qui dolorem pateris, vis eum lenire? Volo. Temporaliter, aut æternaliter? æternaliter. Æternum igitur linimentum, id est Deum desidera. Nam ideo te percussit, ut eum desideres, non herbas, non ligaturas. Vide quàm ingeniosa divina sit bonitas per dolorem ipsum te urget ad se.

39. Anima mea, sursum caput habes, ut situ ipso ad cœlestium rerum amorem inviteris, ut cœlo te natam scias.

Alio-

Alioquin feriri illis verbis poteris, quæ in eos torquet S. Bernardus, qui ima & terrena cogitant. An non confunderis sursum caput habere, qui sursum cor non habes? quid refert hominem caput habere erectum, si corde per terram repat? An non repere est in terrâ, inquit, idem melleus Doctor, carnem sapere, carnalia desiderare, carnalia quærere? non dictum homini, ut per terram serperet, dictum hoc serpenti in pœnam est. Cur ergo tam fatuus homo, ut sponte se ei pœnæ addicat quæ inflicta serpenti? 40.

40. Anima mea, si officio Regis & superioris fungeris, à capite disce te demittere, cùm inferior, cùm subditus aliquid detrimenti patitur. Corporis, inquit S. Chrysostomus, & membrorum exemplo mutuò compacti sumus. In corpore autem tametsi pes vulnus accipiat, humi caput inclinari videmus: & eo nihil venerabilius, sed tamen dignitatem suam non novit calamitatis tempore. Indignè superior dignitatem sustinet, qui cùm subditi necessitas exigit, non se flectit, ac demittit, opem quam potest indigenti daturus.

41. Anima mea, caput prę-
cipuè te à brutis discriminat:
monstrum censeretis, si cor-
pori tuo bovis, equi, Asini aut
Leonis caput imponeretur.
Benè Joannes Eusebius: ô
homo, quàm horrendus ho-
minibus esses, si appareres
quodam die caput bovis, aut
equi habens in tuo corpore
humano: Pejùs est: si corā
Deo & Angelis in animâ tuâ
divinâ factâ per gratiam, tra-
ctes cogitationes desipien-
tes, & otiosas rerum terre-
narum, & brutalem sensum
commodi tui; imò major
proportio est inter corpus
huma-

humanum, & brutum, quæ in eodem gradu rerum sunt, quàm inter gratiam, & peccatum etiam levissimum. Quare deformitas animi defectus venialis excedit omnem horrorem, & deformitatem corporalem, non modò quæquæ sit, sed quæ cogitari possit, aut sit possibilis.

42. Anima mea, capilli docent, nihil esse tam vile, quod sit negligendum, & licet assertione Medicorum, ac ipsâ experientiâ clarum, eos nulli animali deservire ad nutriendum posse; mirum, qui corpori nutriendo inepti

inepti sunt, nutrire mentem possunt, sin mentis stomachum, ut ita dicam, trajiciantur, quæ illi offerunt, & sui exhibitione exhibent. Capillorum utilitatem ac pulcritudinem sic expendebat sanctus Ambrosius: Quã speciosa cæsaries? quàm reverenda in senibus? quàm veneranda in Sacerdotibus? quàm terribilis in bellatoribus? quàm decôra in Adolescentibus? quàm compta in mulieribus? quàm dulcis in pueris? Alium sexum crinita, alium tonsa non decet. Ex arboribus licet, quæ humani

mani sit gratia capitis, æstimare. In capite arboris omnis est fructus, ibi omnis est pulcritudo: illîus coma nos aut à pluviis tegit, aut defendit à Sole. Tolle arbori comam, tota arbor ingrata est. Quantò igitur major humani capitis ornatus est, qui cerebrum nostrum, hoc est, sedem, originemq́; nostrorum sensuum capillis capitis munit, & vestit, ne aut frigore vexetur, aut æstu. Parum fuit Deo necessitati consulere, nisi consuleret etiam decóri.

43. Anima mea, oculi super

per alia membra sunt locati, ut discas aliis dignitate præsidens, & officio, etiam vitæ sublimitate super alios esse. De hoc oculorum situ ita philosophatur S. Isidorus Pelusiota. Quandoquidem oculus universum corpus moderatur, faciemque exhilarat, & exornat, atq; omnium membrorum lucerna est, propterea velut in regiâ quâdam sede collocatus est, ut qui supernam sedem nactus sit, aliis quoq; sensibus præsideat; quemadmodum enim sol in terrarum orbe, sic quoque oculus in corpore est; & quem-

admodum ille si extinguatur, omnia perturbabit; sic etiam extincto oculo, & pedes, ac manus, ac totum penè corpus inutile reddetur. Quorsum hæc dixi? nempe quia magister quoque corporis Ecclesiæ oculus est. Quare si hic lucidus fuerit, hoc est virtutum radiis splendeat, totum corpus lucidum erit, ut pote quòd ipso regatur, & gubernetur, eamque quam par est, curam consequatur. Si autem tenebrosus sit, hoc est ea, quę tenebris digna sunt, perpetret, universum propemodum corpus obscuratur.

44.

44. Anima mea, templa quædam esse aures Lucretius dixit, ut nihil in iis nisi sanctum exciperes, & ad eos sermones eas inclinares, qui sanctitatem nutrirent, non inicerent. Opportunè Asterius de auribus loquens: ad sanos, sanctosque sermones inclinare, & patefacere eas oportet, ac per istos quasi tubos ad animum bona dicta transmittere, ac si quis vitiorum assecla, pestilensque, ac vitiosus homo propiùs accedit, ut peccati cænum per aures infundat, vitandus non aliter, quàm genus illud fera-

rum, quæ toxicum ejaculantur.

45. Anima mea, pulcer nasus sit, si tamen ei, vel cacumen abscindatur, quis non videat totius faciei venustatem perire? ut ab hoc discas nihil exiguum negligere, quod ad mentis pulcritudinem faciat. Implantanda hic sunt, quæ habet S. Chrysostomus: sint lucentes, inquit, oculi, & gena subridens, & labrum rubicundum, & nasus rectus, & porrectum supercilium: sed tamen si quodlibet ex iis peremeris, perimes etiam communem omnium

pul-

pulcritudinem, & apparebũt tristitiæ plena, & turpia, quæ priùs erant pulcra. Nam si vel solam summam nasi partem contriveris, in omnia summam infuderis deformitatem. Sic ferè accidit, ut una macula totum hominẽ devenustet, & unus defectus totum virtutis deformet vultum.

46. Anima mea, Aërem recipiunt, emittuntq́ue nares non sibi solis, sed & omnium præcipuo cordi, & quod est consequens omnibus sensibus. Benè Dracontius.

Faucibus excurrens in naribus aura vicißim
Vitales animat per membra tepentia sensus.

Nobilem narium usum noverunt Indi, & præcipuè Chinenses, licet inepto id signo significent, dum per medias nares transmittunt annulos, aut minuta cornua, dentesque ex foraminibus illis suspendunt, quasi dignissimam partem, ut ait Hugo, singulari honore afficiant. Hunc Indorum morem ad utiliorem, transferre potes, si hinc discas cœlestes, ut Sanctus Bernardus ajebat, odo-

rari delicias, quæ annulum sua perennitate referunt.

47. Anima mea, tibi soli datum est, ut ore exprimas, quod in corde delitescit. Os enim licet etiam bruta habeant, non tamen ut loquantur; ut ab hoc discrimine tu discas, ea ex ore emittere, quæ te à cæteris animantibus discriminent, rationem sapiant. Hoc tuum Privilegium expendens sanctus Ambrosius hæc efferebat. Illud quoque præcipuum, quod soli homines ore exprimimus, quæ corde sentimus: itaque cogitationes tacitæ mentis,

oris sermone signantur. Quid est igitur os hominis, nisi quoddam Sermonis adytum, fons disputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis; Ab aureo ore quoque accipe, quę observes usu. Fecit tibi os? ex hoc nihil prodeat, quod Deo non probetur: sed Psalmodias, hymnos, odas canat spiritales, ut det gratiam, inquit, audientibus, ad fulciendum, non ad evertendum, ad benedicendum, non ad maledicendum, non ad struendum insidias, sed contra omnino.

48. Anima mea, dentes ita lin-

linguæ ſunt proximi, ut linguam etiam ſuam habeant, quin & lingua quædam ſint. Audi quid doceant, excipe, quid clament, & ſubſignabis. Rem ſic explicat ſanctus Auguſtinus: Dentes non tantùm nos adjuvant ad manducandum, verùm etiam ad loquendum; ſicut plectrum nervos, ſic linguam noſtram ut ſyllabas ſonet, percutientes. Præterea dentes vallum referunt, quo à nimio verborum fuſu homo cohibeatur, ſermonum levitas coërceatur. Pulcrè Stobæus: in garrulo verborum flumen eſt,

mẽtis guttæ. Homines magnũ possident vallum dentium ad coërcendos leves sermones; dentes se obliviscitur habere, qui noxios, nimisque leves sermones non præcidit.

49. Anima mea, licet in aperto omnia ferè membra sint, lingua tamen quodam veluti carcere clauditur, & labiorum, dentiumque muris munitur, ut statim ad ejus custodiam vocareris. Diceres carceri traditam, quia nimis sæva est, nimis crudelis. Opportunè S. Bernardinus Senensis: Lingua clausa, & quasi in loco carceris posita

ta est, circundatur enim, atque munitur duobus muris, videlicet à dentibus, qui sunt quasi murus, & à labiis ignei coloris, qui sunt quasi antemurale linguæ. Addit multis interjectis: Lingua ab ipsâ naturâ propter suam feritatem, quasi quidam crudelis, & stultus in carcere oris reclusa est. De illâ ita scribit sanctus Petrus Damianus: Omnia ferarum genera in linguâ reperiuntur; parum est unam feram referre, refert omnes, & mitis serpentium sævities est, si linguæ feritati comparentur. Aspides viperæ,

peræ, serpentesque uno veneni genere nos inficiunt, & perimunt; in unâ linguâ multa sunt venena timenda. Hinc illud sancti Gregorii Nazianzeni in cautionem:

At rursum in linguâ sita sunt permulta venena,
Dimidium vitii nam cita lingua tenet.

50. Anima mea, quòd si linguam expendas, ut in isto gratiæ tempore suum circa sacramenta exercet munus, quid sanctius ipsâ potest reperiri! Linguâ sacramenta perficiuntur, quibus vitæ spiritali redderis, aut reddita

copio

copiosiore gratię munere cumularis. Excipiendo denique sacramento destinata lingua est; quæ res ita sanctitatem linguæ probat, ut simul etiam præclarè doceat, quàm sollicitè ab omni impuritate custodienda sit. Cogita, inquit Auctor ab ore aureo de linguâ loquens, apud te hoc esse membrum, per quod cum Deo colloquimur, hoc est membrum, per quod summâ veneratione dignum sacrificium suscipimus: sciunt fideles quod dicitur; & ideo oportet id esse liberum ab omni accusatione, maledicto, verbo,

verbo obſcœno, & calũniâ. Iſtuc idẽ urget ſanct⁹ Bernardin⁹ Senenſis: Data eſt, inquit homini lingua, ut poſſit per confeſſionem purgare peccata, & aſſumere ſanctiſſimũ ſacramentum. O quantum ſacrilegium putaretur, & eſſet cùm quis in calice, in quo ſumitur Chriſti ſanguis & corpus, putridum lutum poneret, & immundum. Quàm graviter igitur peccat, qui linguam ſuam, in quâ Chriſti corpus aſſumit, tot mendaciis detractionibus, murmurationibus, blaſphemiis, & ſimilibus iniquitatibus conquinat! 51.

51. Anima mea, vocem pro arbitrio quàm facilè varias, aut effers, aut submittis, aut lenis fluit, aut gravior excurrit. Tot vocis differentiç docent, ut omnibus discas te aptare. Benè bonus ille Auctor: Vocem quisque suam pro Magistrâ habere potest ut se omnibus accommodet, & varias pro exigentiâ formas induat, ut in voce accidit, quam pro libitu quisque aut inflectit, aut frangit, aut submittit, aut attenuat, aut auget, aut minuit. De humanæ vocis varietate hæc habet Apulejus: Vox hominis,

nis, & tubâ clangore torvior, & Lyrâ cōcentu variatior, & tibiâ questu delectabilior, & fistulâ susurru jucundior, & buccinâ significatu longinquior; una explet, quod à tot instrumentis obtines. Vocem in hâc parte tuam imiteris, una varias formas induas, & variis te aptes, ut omnibus servias, omnes juves, lucreris omnes.

52. Anima mea, Deus gulæ voluptati occurrere voluit, cùm gulæ terminos ita cōtraxit, ut quàm citissimè voluptatis iter conficeretur. Opportunè rem urget Petrus Damia-

Damianus: Suavem, inquit, cibum cur debeamus expetere? qui quantislibet apparetur impendiis, & antequam in os intret, nobis non sapit: & postquam, flumine glutiente, trajicitur, venter, cui illapsus est, non discernit. Totius autem nostræ voluptatis iter, cui tantâ ambitione servimus, brevissimâ unîus palmi summâ concluditur. Fatuum est, inquit Humbertus, sumptus magnos facere pro brevi delectatione quantum transitus cibi per guttur durat solùm durante. Affinia sunt quę in hanc eamdem

rem

rem habet Hugo: Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum, & hujus tam exigua delectatio quanta paratur sollicitudine, quantam deinde molestiam parit. Transit statim gulæ voluptas, sed non ea, quæ illam sequuntur, si modum excedat gravedo capitis, indigestio, & quod est gravius, interregnum, ut Joannes Eusebius ait, mentis, cujus interim dominationis usus cessat, sæpe jus. Nec hic malū sistit, deinde, inquit, morbi, dolores, tandem immatura

mors

mors de quâ nescio plus una mercatur jugula, an gula. Fortasse gladius in hostili manu non occidit plures, quàm calix in propriâ; nisi quod istius facinus lentum sit, clandestinū ipsis, in quos sævit ignaris eò iniquiùs, quod non impetu, sed insidiis invideat.

53. Anima mea, quanti referat Christo per gratiam hærere, similitudine à barbæ pilis sumptâ egregiè quidam Auctor explicabat, satis erit illîus verba producere, quæ sunt ista: Pilos barbæ Regis, quamdiu mento illîus adhærent,

tent, nemo audet continge-re: at ubi à tonsore resecati sunt, in sterquilinium mittuntur, & pedibus conculcantur. Sic dum homines per gratiam Christo uniti sunt, in magno pretio habentur, & ab Angelis honorantur: at ubi ab eo per peccatum avulsi sunt, pedibus etiam Dœmonum proteruntur.

54. Anima mea, pectus domûs quamdam formam refert, & tacitè monet, ut sub pectore tibi domicilium formes, quod non facilè deseras foras prodiens. Hic optimè quadrat utile illud,

moni-

monitum, quod Stephanus Macon Carthuſianus offert, nam ut in ejus actis habetur: Hortabatur omnes, ut conſtruerent ſuum intra pectus domicilium, quod ingreſſi numquam inde evagarentur, ſed quocūq; locorū cochleę inſtar illud circūferrēt. Major teipsâ fies, quę ita te intra te continebis, & perfectionis porriges limites, quæ terminos coërcebis foras prodeundi. 55. Anima mea, manus à Deo accepiſti non tui tantū causâ, ſed ut illis proximo poſſes ſervire. Chriſtus ſanctam Catharinam Senenſem allo-

alloquens hæc de manuum usu habet: Manus homini sunt concessæ, ut homo proximo suo serviat, præcipuè cum infirmatur. Audiendus quoque Auctor ab aureo ore, sed aureis etiam operibus dives: Fecit, inquit, tibi Deus manus! Has ipsi possideto, non diabolo: non eas ad rapinas, ac prædas, sed ad mandata facienda, & beneficia conferenda, atque ad preces assiduas extendens, ad eos, qui ceciderunt, erigendos.

56. Anima mea, digitorum ipse numerus, loquax, ut

ita loquar, est; decem digiti sunt, & decem præceptorum Dei memoriam, & quod est majus, observantiam commendant. Certè Dei Mater sanctam Brigittam alloquēs: Habendi, inquit, sunt digiti decem præceptorum Dei. Igitur cum manus tuas vides, mentē ad decalogum flecte, & manum admone, omnia opera, quæ facis ad divinæ normam legis dirige, nihil à manibus exeat, quod á divinæ legis abeat scitis. Manibus præterea rectè uteris, & digitis, qua illas, quæ istos Christi vulneribus studes admovere,

movere, ut quod re ipsá ſanctus Thomas Apoſtolus ad Chriſti imperium fecit, facias tu affectu, & mentis intentione, & quâdam interpretatione. Benè bonus ille Auctor: Inferre digitum in loca clavorum, & mittere manus in latus Chriſti non eſt niſi facere operationem conformem illi, quam fecit Dominus, dum & clavis perforari, & latus ſuum pro nobis aperiri voluit, ſcilicet operari ex amore, & dilectione Chriſti. Benè ergo per operationes noſtras tangimus Chriſtum, quando per illas unimur

unimur Christo, per amorem, & charitatem ejus.

57. Anima mea, quàm fuit natura provida, ut cor quod in te præcipuum, & à quo cæterorum vita dependet, præcipuè custodiret! in centro illud constituit, costis munivit, nihil non fecit, ut injurias omnes arceret. Naturam imiteris, sollicitè custodias, quod tam sollicitè ipsa custodit. Voluit hoc sapiens, dum dixit: Omni custodiâ serva cor tuum. Opportunè de cordis custodiâ Joannes Eusebius: Non minus, inquit, pendet vita spiritualis à cor-

de, quàm corporalis: custodito & intemerato corde servabitur Spiritus. Sacrosancta Dei ara, & S. Thronus Spiritûs sancti cor humanum est. Summâ sollicitudine curare debes, ut mundũ ab isto mundo illud serves, nec maculetur imaginibus rerum mundanarum, & impertinentium, quibus per fenestras sensuum velut machinis te quatit mundus, & dœmon. Pergit & audet: plus curare cor tuum oportet, quàm altare, sacrarium, & vasa Sacra ubi sacrificatur, colitur, & servatur corpus

ipsum

ipsum Christi in Sacramento.

58. Anima mea, cordis quoque figura docet, solius Trinitatis esse illud implere, ac satiare: triangulare cor est, adeo ut si totum orbem, qui orbicularis est, illi admoveas, & aptes, semper anguli vacui remanebunt, sola Trinitas implere cor potest; quod est triangulare, inepta omnia alia. Pulcrè Ille; & Opportunè. Vas rotundum in triangulari includes, numquam plenum remanebit, anguli erunt vacui; ut vas triangulare repleas, aptare illi rem debes, quæ triangularis sit figu-

ræ. Triangulare est hominis cor, mundus & mundana Orbem referunt, si omnia cordi inserantur implere illius angulos nequibis, solus Deus Trinus, qui triangulum (liceat ita loqui) refert, tollere omnem ejus vacuitatem potest, & cor satiare. Mente es vacua, quæ rebus, quæ infra Deum, auferre hanc cordis tui vacuitatem te posse cogitas.

59. Anima mea, ventris munus si spectes seriò, liberalitatis & munificentię quamdam in eo reperies formam, & cavendæ avaritiæ monitū.

Præſtat hîc ſiſtere, quæ habet ſanctus Chryſoſtomus: Quē-admodum in corpore, eſt & totîus corporis, & unîus cujuſque membri miniſterium, ſi autem fuerit unîus ſolîus membri, etiam propriam perdit operationem: ita etiam in pecuniis accidit, & quod fiat apertiùs: nutrimē-tum corporis, quod eſt commune, datum membris, ſi ad unum venerit membrum, de cætero fit alienum. Nam cùm non potuerit conſequi, & nutrire, ab illo quoque factum eſt alienum. Sin autem factum fuerit commune,

& illîus & omnium est proprium. Ita etiam in pecuniis, si tu eis fruaris, tu quoque perdideris: neque enim mercedem accipies. Sin autem cum aliis possederis, tūc magis erunt tuæ, & tunc ex eis capies utilitatem. Non vides, quòd & manus ministrant, & os comminuit, & venter capit? Non dicit venter, quoniam accepi, debeo totum detinere? Neque tu ergo hoc dicas in pecuniis.

60. Anima mea, Stomachum aliorum membrorum Regem fecit qui appellavit. Serenus.

Qui Stomachum Regem totius corporis esse
Contendunt, verâ niti ratione videntur.

Hîc facit & illud Theodori Prisciani. Stomachus omnium membrorum sortitus est dominium, reliquorum sibimet famulantium potestas. Regem se probat, dum omnibus famulatur, & quidquid habet in aliorum membrorum utilitatẽ exhibet; quod imitari debent, qui imperāt, ut noverint non sibi solis natos, sed se aliis debere, & quod sunt, & quod possident. Opportunè hîc inferentur,

quæ habet Petrus Damianus: Quod in humano corpore, hoc propemodum Prior est in fratrum spiritualium congregatione; sicut enim de Stomachi receptaculo vigor, & robur per omnia corporis membra diffunditur: ita nimirum de benè administrato Prçsidentis officio omne corpus in charitatis compage degentium vegetatur.

61. Anima mea, non satis Stomacho est cibum excipere, etiam retinet, ut ab eo nō abeat indigestus. Idem à te fiat, parum est, à te utilem cibum excipi, si statim, quod exce-

exceperis, rejicias. Pulcrè sanctus Gregorius: Cibus mentis sermo DEI est. Et quasi receptus cibus Stomacho languente rejicitur, quando sermo auditus in vẽtre memoriæ non retinetur: sed quisquis alimenta non retinet, hujus profecto vita desperatur. Æternæ ergo mortis periculum formidate, si verba vitæ, & alimenta justitiæ, quæ aure percipitis, in memoriâ non retinetis.

62. Anima mea, ex humoribus, qui intus latent, utile, salubreque monitum peritus quidã in pietatis studio Medicus,

dicus, elicuit, dum ait: Ut ex debitâ humorum corporis nostri, & æquali proportione, atq; mensurâ (in quo sanitatem sitam esse Medici statuunt) purus, & vividus faciei color, & decor non fucatus, & ementitus apparet, ita ex animo composito, & devotionis studiis affecto, similis in externo homine honestatis species fulget; ex quo fit; ut interioris hominis compositio & exterior habitus Index sit interioris.

63. Anima mea, mirum est, quod splen risûs causa censeatur,

atur, cùm tamen melancholiæ sit receptaculum, quæ res tacitè clamat, mundanam, præsentemq́ue lætitiam, ęternum moerorem, tristitiamq́ue veluti præsagire. Docti Auctoris sunt Verba: Splen in sinistro locatus hypocondrio causa risûs esse perhibetur, & nihilominus Melancholiæ est receptaculum, quæ assiduam mœstitiam generare solet. Splen est Symbolū mundanæ prosperitatis, quæ homines in præsenti vitâ reddit hilares, cùm tamen æternæ mœstitiæ causam secum habet. Hoc ipso incipit esse

adver-

adversa mundi prosperitas, si blando suo nomine nobis imponat, ut longè ab eâ mœstitiam eam esse putemus, ad quam nos incautos citissimè ducit.

64. Anima mea, pedum numerus te docet, tibi dicit, & quodammodo indicit, ut scilicet dilectione feraris in Deum & proximum. Peritè S. Augustinus. Pedes tui charitas tua est, duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? duo præcepta dilectionis, Dei & Proximi, istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum. Aliud

liud ex geminis pedibus monitum elicuit Dei Mater: nam Beatam Brigittam alloquẽs, hæc ad illam habuit. Bonus homo tenetur habere duos pedes, primus est desiderium æternorum, secundus est fastidium mundi. Insuper pes unus alteri necessarius est, & alter uni; frustra quis conatur incedere, si pede altero careat; pedes duo in Præsulibus præcipuè sunt Vita, & Doctrina, nec sufficit, inquit Blesensis, una sine alterâ; uti nec sufficit ad ambulandum pes unus sine altero.

65. Anima mea, muto discursum,

cursum, ut varietas fugatione tædii pariat delectationē. Lege quæso Martyrologium, & non inveneris, quòd quispiam laudibus extollatur, cœlumq́; ingressus sit ac coronatus aut ab Ecclesiâ Canonizatus, propter divitiarum, voluptatum, ac honorum affluentiam. Sed tantummodo propter egestatē, afflictionem, mundi contemptum, propter squallidissimorū carcerum ac horribilium tormentorum perpessionem, & demum ob proprii Sanguinis innocentem pro fide ac amore Chri-

sti

sti effusionem. Unde facilè collegeris, cœlestes Incolas non nisi adversitatum & patientiæ arietibus cœlum expugnasse, ac cœlestibus perrennibusque spoliis potitos. Tu nunc videris, quibus viis, modis & armis Civitatem Beatorum subintrare velis. Elogio divinæ scripturæ certum, quòd non bonorum pactorum initione, sed violentiâ rapiatur.

66. Anima mea, quemadmodum servos tuos certo colore & facturâ vestium, tamquam quibusdam signis discriminas ab alienis, ita teipsam

psam à servis alienis, videlicet mũdi, carnis & diaboli, tam. quam notâ quâdam discernere debes, chlamyde dilectionis Dei & proximi, si in Christi Aulâ connumerari velis. Hinc S. Gregorius. Per amorem Dei amor Proximi gignitur, & per amorem Proximi amor Dei nutritur; nam qui amare proximũ negligit, profectò Deum diligere nescit. Et S. Chrysostomus. Dilectio Dei & Proximi concatenata sunt, ita ut unum in alio includatur. Nõ potest hominem odire, qui Deum amat, nec potest De-

um

um amare, qui hominem o-
dit. Idem iterum: Qui De-
um diligit, non potest eum
contemnere, quem DEUS
præcepit diligi, & qui diligit
Proximum, quid in eo dili-
git, nisi Deum?

67. Anima mea, si munere
Papæ aut Cardinalis, Impe-
ratoris aut Regis fungeris,
Recordare sæpius interdiu il-
lud Scripturæ; Cui plus da-
tum est, plus repetetur ab eo:
ut te in disciplinæ, humilita-
tisque terminis, & accuratâ
officii administratione con-
tineas. Gratum quidem tibi
nunc est, mundi hujus digni-
tatibus

tatibus Ecclesiasticis, aut secularibus perfrui, & variis talentis animi, ac corporis pollere, sed onerosum postea erit, de his omnibus rationem strictissimam Deo reddere. Unde S. Gregorius perhibet. Cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergo esse humilior, atque ad serviendum promptior quisq; debet ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddendâ ratione. Et S. Chrysostomus. Quantò majora beneficia hominibus sunt cōstituta, tantò graviora peccantibus judicia. 68

68. Anima mea, tantopere desideras opera manu hominum facta; scilicet Romanorum ædificiorum amplissimam structuram; Antiquitates, Templum Principis Apostolorum, quod esse Urbis ornamentum, & mundi miraculum perhibetur; Vicarii Christi Personam ac magnificentiam, thesaurum, atque famulantiũ catervam. Quorum visio exigit multitudinẽ expensarum, itineris asperitatem, periculum, ac lõgitudinem. Cur non etiam in quocũq; climate existẽs nullis expensis, sine arduitate

viarum

viarum & diſcrimine, & ſingulis penè pro libitu momẽtis Opera Dei Verbo facta contemplari expetis? Firmamenti totius molem, ejus antiquiſſima ornamenta, Solem, Lunam, ac innumeram ſtellarum copiam. Immò cur ſuper cœlos, ſtans uni eidemque loco fixa, Mente Duce, Fide Comite nõ excurris? viſcera cœli Empyrei, ut ita loquar, Baſilicam, Sanctiſſimæ Triadis Majeſtatem, divinæ ſapientiæ potentiæq; theſauros, & ſervientium Angelorum ac ſanctorum Myriades, Heu quàm tibi cum D.

Ignatio

Ignatio Loyolâ tellus sordere, dum cœlum aspiceres! Opportunè S. Chrysostomus. Si cœlum statim suspexeris, à lapidibus his, & columnis, ad illîus decorem deflexeris oculos, spectabis hæc esse opera formicarum.

69. Anima mea, si es contenta Dei circa te in adversis & prosperis dispositione, cur turbaris, si præter peccatum quidpiam sinistri tibi accidat? cùm id à manu Dei ex singulari favore in augmentū gratiæ ac gloriæ tuæ eveniat. Immò cùm in mundi hujus sis exilio, in peregrinâ terrâ, in

in Patriâ inimicorum tuorũ, quid mirum, si affligaris, si contemnaris, si variis premaris necessitatibus? Tu potiùs cum Apostolo in cruce Christi lætari deberes, & cum D. Philippo Nerio tibi persuadere, nullam majorem afflictionem in hoc mundo esse, quàm non affligi; & cum Apostolis nullum majus gaudium reputare, quàm pro Deo pati. Hinc illi ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro Nomine JESU contumeliam pati.

70. Anima mea, non oportet

tet magnoperc aliorum de te locutiones privatas aut publicas curare. Nam vel benè de te, vel malè sermocinantur. Si benè & verè; habes occasionem lætandi. Si malè & falsè: occasionem habes innocenter cum Christo Innocente patiendi, & detractoribus compatiendi, pro iis orandi, & apud Deum propter humilem ac veram patientiam majorem gratiã, gloriamque promerendi. Si benè & falsè: est adulatio. Si malè & verè, est culpæ tuæ manifestatio. Denique tanta & talis es, quanta & qualis

coram

coram propriâ conſcientiâ, & Deo, & non coram hominibus. Ad rem S. Gregorius. Quid prodeſt ſi omnes te laudant, conſcientia accuſat: è converſo, quid nocet, ſi te omnes accuſent, conſcientia vero excuſat? Eleganter canit Quidam. *Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.*

71. Anima mea, valdè ob bonum corporis promovẽdum ſollicita es, & de teipsâ modicum. Dominánne dignior, an mancipium? Nonne tibi corpus â Deo pro ſclavo datum, ut illo diſcretè utaris ad labores ſaluti pro-

priæ

priæ convenientes exantlandos, & tu illud tam delicatè tractare gestis: Vide ne regaris à corpore, ubi tu ipsum regere deberes, & ne instrumentum virtutis exercendæ, nutrimentum ac receptaculum efficiatur vitiorum. Paradisum hîc non reperies, licet ex voto quibuslibet bonis, & deliciis corporeis perfruaris. Ex Paradiso terrestri cum Adamo ac Posteris ob inobedientiæ, gulæ ac superbiæ peccatum ejecta es; Satage nunc, ne iterum ob peccatum in Paradisum cœlestem non intromittaris. Et

enim Scripturâ Teste: Nil Coinquinatum eò introibit. Pulcrè hîc Augustinus. Quotidie quæruntur in isto seculo dies boni, ubi non inveniuntur, & nemo vult sic vivere, ut illuc perveniat ubi inveniuntur. Si tanta cura inest hominibus, ut tardiùs moriantur, quantâ curâ agendũ est, ut numquam moriantur.

72. Anima mea, diligere inimicum majoris virtutis & meriti est, quàm Amicum. Nam ex amore amici nõ potest vera charitas perpendi (cùm & ipsi Ethnici eos diligunt,

gunt, qui se amant) sed in amore Inimici vera charitas perpenditur. Amantem enim diligere, naturæ est, quod non est meritorium: non amantem verò beneficiis ad amorem attrahere, gratiæ & perfectionis est. (S. Augustinus. Qui bene vult Inimico suo Deo similis est) Et licet non teneearis ex præcepto tantùm, & tam ferventer Inimicum diligere, quantùm Amicum: fœlix tamen esses & summè perfecta, si tantùm & plùs posses diligere, & opera charitatis exhibere Inimico, quantùm Amico; Corripi-

enti & Corrigenti, quantùm blandienti; vituperanti, quã-tùmlaudanti. Quia teste Chrysostomo: Nihil est, quod sic Dei similes faciat, ut malignis atq; lædentibus esse placabilem. Pro certo enim, majorem gratiam & gloriam consequereris ex persecutione, quàm ex favore, si modo debito scires eâ uti: sicut sanctis Martyribus multò magis profuerunt Inimici ad æternam beatitudinem, quàm Amici. Mirum est, quòd mundum, carnem, & diabolum, Inimicos tuos capitales, quos ex præcepto Christi odio

odio perpetuo, eoque meritorio prosequi deberes, tantopere ames, eorumque operibus delecteris.

73. Anima mea, maximè ad amandum Deum, etiam supra Angelicam creaturam obligaris: quod patet ex eo, quia nulli Angelorum tanta beneficia in creatione sunt collata, ac tibi. Nam Angeli habēt esse pulcrū, quia spirituale tantùm; Sed tu spirituale & corporale. Angeli creati sunt propter Deum, creaturæ autem non propter Angelos, sed propter te: & ita tu majoris es dignitatis,

quia creata propter Deum, & cum hoc creaturę propter te, ut sis quodammodo Domina creturarum, & solùm recognoscas Dominum Deum tuum; Propter quod hunc in modum te alloquitur Hugo. Magno debito obligata es Anima mea, & multum accepisti, & nihil à te habuisti, & pro his omnibus non habes, quod retribuas, nisi tantum ut diligas. Nam quod dilectione datum est, nec melius, nec decentius, quàm per dilectionem rependi potest.

74. Anima mea, vis transformari in Deum? ama Deum.

um. Nam ſecundùm Pala-
cium amor convertit aman-
tem in id, quod amat, dum
ait: Ut igitur ita Deus dile-
xit hominem ut efficeretur
homo; ita æquum eſt, ſic nos
Deum diligere, ut Dii quidã
efficiamur. &: Ama Deum
Solum, quia amor non pati-
tur dividi, uti docet S.
Baſilius. Amor in cætera
non recipit ſectionem, nam
quantamcunq; dilectionem
in infimis expénderis, hoc ti-
bi neceſſariò à toto deficiet.
Sed inquies amare Deum dif-
ficile eſt; ſolvit hanc difficul-
tatem ſapientiſſimus quidã

 Idjota

Idjota ajens: Amor Dei facilis res eſt, omnibus ſe exhibet, nulli ſe negat; capit eum juvenis & ſenex, Vir & mulier, ſanus & infirmus, dives & pauper, ſummus & infimus, liber & ſervus, ſæcularis & Religioſus, debilis & fortis, nec eſt, qui ſe valeat excuſare.

75. Anima mea, an non vehementer doleres, ſi ratione privareris? Si in beſtiam transformareris? imò ſi demum ad nihilum redigereris? Utique: & tamen peccando rationalis eſſe deſinis, ut S. Thomas Aqu. inquit:

Homo peccando recedit ab ordine rationis, ſecundùm quam unuſquiſque debet vivere: & tamen peccando belluam induis, Boetio ita aſſerenti, ſi credis. Videſne igitur, quòd ita ſit, ut qui probitate deſertâ homo eſſe deſierit, cùm in divinam cōditionem tranſire non poſſit, vertatur in belluam: & tamē peccando nihili conditionem ſubis, ſicut ait D. Auguſtin⁹: Peccatū eſt nihil, & nihil fiunt homines, cum peccant.

76. Anima mea, miraris ſæpenumero, quòd petitiones apud Deum nullum ſortiantur

antur effectum: desine mirari. Etenim vel petis quidpiam obfuturum tuæ saluti promovendæ, aut exiguum quid à Deo flagitas; nimirũ sanitatem corporis, prolongationem vitæ temporalis, ampla officia & dominia, aliasque caducas commoditates. Oportet maxima à Deo Maximo petere, tibique salutaria; videlicet profectum in sanctitate; augmentum fidei, spei, charitatis, gratiæ ac gloriæ; conversionem omnium alienatorum à fide Catholicâ per quamcumq; sectam; in quacumq; mundi parte existenti-

ſtentium; victoriam continuam in vitâ, & morte contra tentationes, ac inſultus mundi, carnis & diaboli: Perſeverantiæ donum: Solutionem tui à corpore, cœliquè adeptionem. Sicut Chriſtus in Evangelio docet: Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & cætera adjicientur vobis.

77. Anima mea, ſi bonorum operum proemium perdere non vis per vanam complacentiam & gloriam: oportet te ita tua bona opera coram aliis, imò coram Deo & teipsâ, ſi non effectu, ſaltē affectu,

affectu, sicut enormia scelera occultare. Exemplo tibi sit S. Hedvvigis Silesiæ Patrona, quæ vadens ad Ecclesiam quandoque calceis usa fuit: ad eam autem perveniens, mox nudatis pedibus in nudo deinceps residens pavimento orationibus insistebat, & ut intuentium oculis suam devotionem ac humilitatem occultaret, longiori pallio utebatur. Unde Gregorius ad fratres ait: Compellor dicere, ut & bona, quæ agitis, cum magnâ cautelâ teneatis: ne per hoc, quod à vobis rectum geritur, favor

aut

aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intus à mercede evacuetur.

73. Anima mea, cur alteri etiam indifferenti actioni, quando orationi indulgere nequis, operam non navas? an ignoras, quòd omne bonũ justi opus sit oratio? qui & studendo suo tempore, & docendo orat, & visitando ac curando infirmos orat, immò & ab oratione legitimè ob executionem alterius operis cessando orat, cùm non sit fortior oratio, quàm satisfacere

facere propriis obligationibus, ut ait Ecclesiasticus: qui conservat legē multiplicat orationē, & sacrificiū salutare attēdere mandatis. Huc peropportunè illud Ludolphi Carthusiani quadrat: Quidquid justus facit, & dicit secundùm Deum, ad orationem est reputandum. Nam semper orat, qui semper benè facit, seu in bono perseverat: nec desinit orare, nisi cum desinit justus esse. Orat enim non solùm lingua, sed & cor, & cogitatio, desiderium, sensus, manus, oculi & omnis operatio bona.

79. Anima mea, non sola magnificare Deum, non sola amare, non sola benedicere, non sola amplecti, sed etiam alias creaturas ad eum magnificandum, amandum, benedicendum invitare conenis exclamando cum Regio Propheta: Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum. Et cum S. Augustino: Excitate ergo in vobis amorem fratres, & clamate unicuique vestrorum, & dicite, magnificate Dominum mecum: sit in nobis iste fervor; si amatis Deum, rapite omnes ad amo-

amorem Dei, qui vobis junguntur, & omnes, qui ſunt in domo veſtrâ. Ergo rapite, quos poteſtis, hortando, portando, rogando, diſputando, rationem reddendo cum manſuetudine, curâ, lenitate.

80. Anima mea, ſicut pecuniæ in terris, ita orationi in cœlis obediunt omnia: per hanc enim & remiſſionem peccatorum, & gratiæ conſecutionem obtinere potes. Ad rem P. Joannes Oſorius: Qui pecuniam habet, omnia habet, quę illi neceſſaria ſunt, quia eâ datâ, omnia emere poteſt. Ita oratio eſt pecunia

nia ſpiritualis, quâ mediâ, omnia acquirimus, quæ volumus. Eſt etenim illud inſtrumentum generale, quo omnia nobis acquirenda ſunt, & qui eam habet, omnia ſe habere, credat. Ac propterea univerſum bellum (ait S. Nilus) quod inter nos & dœmones conflatur, non eſt de aliâ re, quàm de oratione; eſt enim illis oratio valde adverſa, & odioſa, nobis verò ſalutaris & valde benigna.

81. Anima mea, ſi zelo cõverſionis infidelium flagras, non ſapientiâ mundanâ, ſed virtute divinâ nitaris, cujus

ſolîus

solîus opus, est Conversio. Hoc Apostolus sentit dicens: Fratres videte vocationem vestram, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, nō multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, & ignobilia, & contemptibilia elegit Deus, ut confundat sapientes, & non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Hoc sentit S. Hieronymus dicens: Piscatores illustrati mittuntur ad prædicandum, ne fides Credentium, non virtute humanâ, sed eloquentiâ, & doctrinâ Dei fieri putaretur. Hoc

sentit

ſentit S. Auguſtinus dicens de Chriſto: Elegit diſcipulos, quos & Apoſtolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos, illiteratos, ut quidquid magnum eſſent, & facerent, ipſe in eis eſſet, & faceret.

82. Anima mea, impoſſibile eſt ſequi Chriſtum, niſi prius mundo, ejuſque pompis renuncies, & divina mandata ſerves. Tria ſunt, inquit S. Joannes Chryſoſtomus, quæ ſunt derelinquenda, qui vult ſequi Chriſtum: deliciæ, divitiæ, & parentes, quæ in Evangelio ſignifican-

tur per retia, per navem & patrem; per retia actus carnales significantur: per navem substantia; & facultates mūdiales; per patrem significãtur parentes in quolibet modo. Verùm quale proemium in præsenti vitâ habebũt sequentes? Respondet illis Christus: Faciam vos Piscatores hominum. Qualem dignitatem in fine & judicio mundi adipiscentur? respondet eis idem: Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israël. Qualem demum

demum mercedem in cœlesti paradiso obtinebunt? respondet ille idem, & promittit unicuique triplicem. Primò amœnissimum locum: si quis mihi ministrat me sequatur, & ubi ego sum, & illic sit minister meus. Secundò divitias infinitas: Veni sequere me, & habebis thesauros in cœlo. Tertiò claritatem, & lucem æternæ gloriæ in vitâ æternâ: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

83. Anima mea, si in creaturis tam magnam, & tam multiplicem reperis delectationem,

tionem, quantam nõ reperies in Creatore ac scaturigine omnium quocumq; modo delectabilium? Ipse enim te esurientem potest satiare, sitientem potare, debilem cõfortare, jacentem erigere, mœrentem recreare, pauperem ditare, aflictam consolari, morientem vivificare, reã justificare, damnatam etiam beare. Divinè D. Bernardus: si magnæ & multæ sunt delectationes in rebus delectabilibus, qualis & quanta est delectatio in illo, qui fecit omnia delectabilia? qui hoc bono fruitur, quid illi erit?

&

& quid illi non erit?

84. Anima mea, putas te valde multa & ardua pati propter regnum cœlorum consequendum, & tamen necdum es crucifixa cum Christo, necdum assata cum Laurentio, necdum excoriata cum Bartholomæo, necdum feris objecta cum Ignatio, necdum decollata cum Paulo, necdum etiam dirissimis aliorum Martyrum affecta suppliciis. Audi Apostolum: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur. Audi Bernardum: Non

Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad peccata, quæ commiſimus, ad beneficia, quæ accepimus, ad pœnas, quas evaſimus, ad proœmia æterna, quæ expectamus. Audi Auguſtinum: ô Anima mea, ſi quotidie oporteret nos pati tormenta, & perferre pœnas, ſi ipſam gehennam longo tempore tolerare, ut Chriſtum in ſuâ gloriâ poſſemus videre, & ſanctis ejus aſſociari, nonne eſſet dignum pati omne, quod triſte eſt, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur? cujus gloriæ magnitudinem & ineffa-

effabilem suavitatem. Author idem alio modo rē ita depingit. Tanta est dulcedo futuræ gloriæ: quòd si una gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem indulcoraret.

85. Anima mea, licet peccatorum mole sis prægravata, non propterea veniam eorum apud Christum per intercessionem sanctorum, ac præcipuè B. Virginis impetrare diffidas. Ipsa est, dicit devotissimus Idjota, thesauraria gratiarum. Cæteri sancti jure quodammodo patrocinii pro quibusdam sibi specialiter

cialiter commissis plus possunt prodesse in curiâ cœlesti, quàm pro alienis. Beatissima vero Virgo, sicut est omnium Regina, sic etiam omnium Advocata, & Patrona est, & cura illi est de omnibus: & sic nemo est, qui se abscondat à calore ejus. Fuitne umquam fortassis in mundo major peccator Judâ? Fuitne unus aliquis alius in terra, qui potuit tantopere offendere Deum, & ejus sanctissimam Matrem, quantopere perfidus & maledict⁹ Judas? & nihilominus venisset ad Virginem, dicit S. Vincentius,

centius, ut oraret filium suum, ut parceret sibi, adhuc habuisset remissionem. Huc accedit S. Bernardinus: Corrige culpam, & indulgentiã spera, non est culpa, quæ non habeat veniam. Et S. Ambrosius: Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius debitorum, præmia divina desperet, novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.

86. Anima mea, effectus jejunii si scires, indesinenter totâ vitâ (possibile si foret) corpus jejunio macerares. Et enim jejunium, dæmones

 pellit

pellit secundùm illud Matthæi: Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem & jejunium. Eosdem enecat, ut ait S. Antiochus: Itaque quisquis macerat carneã, & ad talem nititur virtute abstinentiæ perducere, utique dœmones fame necat, cùm caro hujusmodi non ampliùs esse valeat pabulum eorum. Jejunium hominem reddit Angelo similem non naturâ, sed opere. Semel de die comedere, Hugo Cardinalis inquit, quasi vita Angelica est, bis vita humana, pluries vita jumentina sive

vita brutorum. Confirmat idem S. Chrysostomus, dum ait: Non est homo, sed ferme Angelus est, jejunans, & agens festum Domini jejunium beatificat, seu Dei visionem meretur. Ipsum namq; jejunium, dicit S. Basilius, Eliam magnæ visionis Spectatorem fecit, quadraginta namque dierum jejunio animam purgans in speculâ meruit, quantum fas est homini, Deum videre. Macerares. Etenim jejunium secundũ Joannem Climacum, est incentivorum omnium abscissio, malarum cogitationum amputatio,

potatio, mentis custodia, quietis occasio.

87. Anima mea, si in altero mundo cupis esse ditissima, conare in hoc esse pauperrima, si non necessitate & professione, saltem affectu. Nam paupertas illa est moneta, quâ cœlum secundùm mentem Divi Augustini emitur. Fœlicitas magna Christianorum, inquit ille, quibus datum est, ut paupertate faciant pretium regni cœlorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil eâ potest ditius reperiri: vis noscere, quàm locuples sit? cœlum emit: quibus

bus thesauris conferri possit, quod videmus paupertati indultum?

88. Anima mea, cur tantopere ventrem cibo potuque exquisito & inordinato exples? cùm natura paucis sit contenta, secundùm illud Ecclesiastici: Initium vitæ hominis, panis & aqua. Verùm diabolus causat, ut natura cæteroquin paucis contenta, etiam multis non contenteur, non expleatur. Scitè S. Joannes Climacus. Neque te illud lateat, quòd plerumque dœmon Stomacho insidet nostro, facitque ut

homo numquam ſatietur, etiamſi univerſam comederit Ægyptum, totumque Nilum biberit.

89. Anima mea, recogitaſne aliquando amorem, quē tibi Chriſtus exhibuit? de cœlis deſcendendo humanā naturam aſſumpturus, mundi hujus calamitates perpeſſurus, ac demum acerbiſſimam, paſſionem, mortemque ſubiturus, ut te è faucibus inferni eriperet, cœloque donaret, in ſalute tuá ſuam quodammodo ſalutem collocando. Angelicè Angelicus Pater tanti amoris vim exprimit

mit his verbis: Quasi homo Dei Deus esset, & tota salus divina in ejus inventione dependeret, & quasi sine ipso beatus esse non possit. Væ igitur tibi, si infinito Christi amori correspondere pro viribus non nitaris, ac iterum Væ & æternum Væ, si pro amore odium, pro beneficio offensas, pro gratiâ ingratitudinem rependas.

90. Anima mea, non tantum voce, sed etiam calamo Ecclesiæ militanti prodesse satagas: etenim dicta præsentes docent, scripta quoque absentes; illa modico

tempore, hæc verò longiſſimo durant, erudiuntque poſteritatem. Excellenter hâc ſuper re Petrus Berchorius diſſerit: Plus profuerunt Eccleſiæ Apoſtoli in carceribus detenti, vel abſentes, quàm liberi & præſentes. Tunc enim epiſtolas ſcripſerunt, quę ad ſuſtentationem fidei, & morum, ubi nunc ſunt diſperſæ, quantum in ſe fuit, totum mundum converterunt: præſentes pro paucis regionibus, & populis locuti ſunt, qui nunc pro magnâ parte à fide deverterunt. Epiſtolæ verò ad remotas partes delatæ

tæ proficiunt, & de die in-diem fideles ad Christum cō-vertunt: Et concludit, quod plus valuerūt epistolæ, quàm verba, & magis scripta, quàm dicta, & plus absentia, quàm præsentia. Huic adjungi potest illud: Epistolæ graves sunt, & fortes; præsentia corporis infirma, & contemptibilis: constat enim de Augustino, Hieronymo, Senecâ, & aliis scriptoribus, quod eorum epistolę plus quotidie proficiunt, quàm ipsi per suam præsentiam profecerunt. Præterea Joannes Gerson inquit: Scriptor Ecclesiam ditat.

tat,armat, custodit, honorat, scriptor posteris sal sapientiæ administrat, largitur, miseretur, & commodat. Ac demum Tritemius ait: Major est scriptoris pietas, officio prædicantis, quia illîus cum tempore perit monitio, istîus perseverat in annos multos annunciatio. Prædicator loquitur duntaxat præsentibus, scriptor prædicat etiam futuris. Illîus sermo semel auditus in nihilum redigitur: istîus lectio millesies repetita numquam minuitur. Cùm prædicator deficit, cessat officium: scriptor etiam mortuùs in

us in volumine moribus facit institutum. Denique scriptores, si de Ecclesiâ tollas, vacillat fides, charitas friget, spes decidit, Jus perit, lex cõfunditur, in oblivionem trãsit Evangelium.

91. Anima mea, vis in cœlis sublimiori in loco residere? in terris cæteros humilitate non negligas anteire. Nam in scholâ Christi axioma celeberrimum est; Qui se humiliat, exaltabitur: & pro mensurâ demissionis, datur mensura celsitudinis. Ad rem Paulus Palacius ait: Si vis, ut Deus pulcerrimum in te opus per-

perficiat, humilia te, videat in oculis tuis viliorem, hoc præclarius absolvet opus. Idem prosequendo inquit: Jam quid credis in cœlo esse? certè est humilitas; omnis illa Beatorum curia humilium est.

92. Anima mea, ignoras, quid sit sui ipsîus abnegatio? ausculta tantisper sanctum Bernardum, & scies. Seipsum abnegare, est voluptatibus propriis renunciare, ut qui superbus erat, sit humilis, iracundus, mansuetus sit, & qui luxuriosus, sit castus, qui avarus erat, sit largus. A cujus sen-

ſententiâ non diſcrepat Origenes. Abnegat ſeipſum, qui priorem vitam ſuam malam, bonâ converſione relinquit, ut putà aliquando luxurioſus, denegat ſe luxurioſum, converſus ad caſtitatem: & qui erat injuſtus, denegat ſe injuſtum, cùm cœperit ſervare juſtitiam: ſic & in omni malitiâ eſt dicendum, qui ſe ab eâ converterit, ſecundùm quod præcepit JESUS, denegat, quod fuerat, ſic & è contra, qui non denegat ſeipsũ, ſe quidem confitetur, denegat autem Chriſtum, à quo, & ipſe denegabitur.

93. Anima mea, Judæis tā-quam crucifixoribus Christi vehementer indignaris, qui semel Christum duntaxat crucifixerunt, & teipsam arguere præteris, quæ sæpiùs & graviùs cum peccatis, quantum in te fuit, crucifixisti: Sāctus Augustinus in Personâ Christi hîc te affatur: Cur me graviori criminum tuorum cruce, quàm illa, in quâ quōdam pro te pependeram, affixisti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, quâ invitus pendeo, quàm illa in quâ tui misertus, mortem tuam divisurus ascendi.

Et

Et alibi Idem. Per omne peccatum, quod committimus, quantum in nobis est, Christum crucifigimus.

94. Anima mea, beatitudo vera in hâc lacrymarum valle non in mundi deliciis consistit, sed in cruce Christi Fidelibus pro testamento relicta, ut notat S. Ambrosius perhibens: Auctor pietatis in cruce pendens, testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens: Apostolis persecutionem, Judæis corpus, Patri Spiritum, Virgini Paranyphum, latroni paradisum, peccatori infernum,

num, Christianis verè pœnitentibus crucem commendavit. Nequaquam hic prętereundum illud Hieronymi. Dei filius sustinuit ignominiam crucis, & tantùm beatos putas, qui fœlicitate hujus mundi deliciis perfruuntur? duobus modis crux tollitur; cùm aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur Animus. In Confirmationem dicit Augustinus; Totâ vita Christiani, si secundum Evangelium vivet, crux atq; martyrium est.

95. Anima mea, hac tempestate

pestate in vineâ Domini laborando exiguum aut nullũ fructum adfers, quia non ejus honorem, sed tuum promoves: non ejus Ecclesiam, sed tuorum bonorum ac proventuum amplificas: non hominum, sed nummorum salutem sitis: non laborem, sed quietem desideras: non pati, sed delectari procuras, oblivioni tradens penitus totum mundum conversum fuisse per duodecim Apostolos ob quadruplicem causam, quam sanctus Joannes Chrysostom⁹ notat: scilicet ob pecuniæ contemptum, gloriæ defectũ, secu-

ſecularium occupationem ſegregrationem, & terribilium paſſionum tolerationē.

96. Anima mea, majorem materiam flendi, quam ridendi, triſtandi, quàm lætandi, pœnitendi, quàm genio indulgendi nanciſcêris, ſi mente peccatorum multitudinem, gravitatem, culpam, pœnamque accuratiùs ruminaris. Gemere & flere debemus hâc vitâ, ait Iſidorus, reminiſcentes ſcelera noſtra, quàm gravia ſunt, quæ commiſimus, quàm damnoſa, quę omiſimus, quàm dura inferni ſupplicia, quæ meruimus, quàm

quàm delitiosa cœlestia gaudia, quæ amisimus. Huic non absimile est dictum S. Gregorii: Quatuor sunt qualitates, quibus justi Viri Anima in compunctione vehementer afficitur: quum aut malorum suorum reminiscitur, considerans, ubi fuit: aut judiciorum Dei sententiam metuens, & secum quærens, considerat ubi erit: aut quum mala vitæ præsentis attendit solerter, mœrens considerat, ubi est: aut quum bona supernæ patriæ contemplatur, quę quia necdum aspiciuntur, lugens conspicit, ubi non est.

97. Anima mea, veritatē profiteri numquā erubescas, etiam cum discrimine vitæ, exemplo S. Joannis Baptistæ, qui propter veritatis prædicationem missus est ab Herode Tetrarchâ in carcerem, veluti latro, & sacrilegus, dicebat enim illi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Apposité Chrysostomus. Non solùm ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palàm mendacium pro veritate loquitur: sed etiam ille, qui non liberè pronunciat Veritatem, quam liberè pronunciare oportet, pro-

proditor est veritatis. Nam sicut sacerdos debitor est, ut veritatem, quam audivit à Deo, liberè prædicet; sic Laicus debitor est, ut veritatē, quam audivit quidem à sacerdotibus, probatam in scripturis defendat fideliter: quod si non fecerit, proditor est veritatis.

98. Anima mea, non tantùm in templo, in monasterio, in piorum hominum cœtu, verùm etiam in foro, in plateis, in sæcularium cōgressu virtuti vacare exercendæ & licitum & honestum est; non enim locus sanctifi-

cat.

cat. Eleganter S. Basilius Seleuciensis: Vide mihi primùm, inquit, ubi Johannes degens quæstionem habeat? ubi? in vinculis. Qui verè Philosophus, is cùm corpus suum curarum suarum domicilium, & animi sedem firmissimam habeat, licet casus cum in forum attulerit, licet in maximâ conventûs alicujus celebritate versetur, licet in monte aliquo, licet in agro, licet in mediâ multitudinis frequentiâ sit, stabilis tamen in naturali suo monasterio manet. Quippe, qui mentem suam introrsum ad

seipsum

ſeipſum recollectam habeat, & de rebus ad officium ſuum pertinentib⁹ Philoſophetur. Fieri etiam poteſt, ut, & qui ſe intra privatos parietes cõtineat, is ſi negligenter ſe gerat, mentis agitatione circũagetur foras.

99. Anima mea, non propterea ab oratione ceſſare poſſe legitimè tibi perſuadeas, quia ad Eccleſiam accedere ob nimiam diſtantiam haud vales. Tu enim ipſa templum Spiritûs ſancti exiſtis, quando peccato immunis, ejus gratiâ polles. Confirmat idem S. Chryſoſtom⁹:

Ne igitur excuſationes quæramus dicendo: non eſſe propinquam precationis ædem; nos enim ipſos, ſi ſobrii fuerimus, templa faciet divinæ gratiæ Spiritus. ut magna undique nobis precandi fafacultas affluat: licet etiam mulieri colum tenenti, aut telam texenti ſuſpicere in cœlum, ac ardenti pectore Deum invocare: licet etiam Viro in foro verſanti, aut iter facienti attentè precari: alteri item in officinâ ſedenti, ac coria ſuenti animam ad Deum erigere: licet ſervo obſonanti, aut ſurſum deorſum curſanti,

cursanti, vel in culinâ, si non vacet ire ad Ecclesiam, precationem intentam ex imo pectore ciere.

100. Anima mea, indesinenter non tam verbo, quàm exemplo proximum ad virtutis semitam amplectendam reducere allabores, maximā inde mercedem apud Deum consecutura. Nihil æquè (ait S. Ephræm) animam hominis ducit ad salutem, junioresque ad laborandum incendit, atque si Doctorem re ipsâ, & exemplo ad virtutē cohortatorem invenerint. Hujusmodi Doctoribus Da-

niel Propheta eximium pollicetur præmium Dei Nomine. Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ fulgebūt in perpetuas æternitates.

101. Anima mea, tentari sæpe non est malum, sed tentationi succumbere. Omnis vita tua tentatio est, militia est, labor est. Quod si omnis vita tua tentatio, militia, labor; omnis vita tua, & lucrum est, & victoria, & merces. Ambrosius. Tolle pugnam, & non erit victoria, tolle victoriam, & non erit corona. Facundè S. Joannes Chrysostomus: Ut enim infirma-

firmatur peccator adversis, inquit, ita justus tentationibus roboratur. Sic dimicarunt adversus peccatum sancti: sic & laborando fortiores, & moriendo victores effecti sunt. Nullus Athletes sine certamine fortior dici, nullus sine victoriâ poterit coronari. Nemo miles sine prælio hostem subjecit: nemo sine bello imperatorē promeruit. Habes Christiane competentia arma, quibus hostem expugnes: habes fortissima tela quibus inimicum debelles.

102. Anima mea, quid pro-

deſt, quòd Chriſto adhærere, & diaboli abrenũciare pompis in Baptiſmi perceptione promiſeris, ſi promiſſa nequaquam adimpleas? quid prodeſt, quòd Chriſtiani nomine gaudeas, ſi Chriſti vitam non imiteris? Homo (inquit S. Joannes Chryſoſtomus) aut ſecundùm locum eligat veſtem, aut ſecundùm veſtem eligat locum:) id eſt, aut ſecundùm opera eligat profeſſionem, aut ſecundùm profeſſionem faciat opera. Qui vult eſſe Chriſti (proſequitur idem) faciat opera Chriſti: Qui autem non

vult

vult opera Christi facere, nec veniat ad Christum, alioquin audiet in die judicii: Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? & obmutescet.

103. Anima mea, DEUS quandoque te sinit labi in ægritudinis molestiam, in maris tempestatem, in belli furias, in pestis sævitiem, in famis torturam, in latronum pericula, in exilii calamitatem, in egestatis pressuram, in hostium insidias, etiam in peccati enormitatem: ut ex adversis prospera, ex nocivis salutifera discas æstimare, &

in necessitatibus ad Deum recurrere. Ad rem S. Hieronymus fatur. Scire non possumus ægrotationis mala, nisi cùm non fuerit sanitas consecuta; & quanti virtus boni habeat, vitia demonstrant, clariusque fit lumen comparatione tenebrarum. Et Gregorius. Mala, quæ eos premunt, ad Deum ire compellunt. Item Petrus Chrysologus. Bona, quàm sint bona scire, nisi malorum cognitione, non possumus. Item Prosper. Dulcior enim fit salus, cùm dolor excruciat, & sanitatis amissę dulcedinem,

lan-

languoris amaritudo commendat.

104. Anima mea, efficacissimum remedium contra tentationes quaslibet, ac peccata, est passio & mors salvatoris ante oculos præfixa. Ita Origenes. Tanta est virtus passionis Christi, ut si in corde continuo teneatur, & præ oculis habeatur, nulla libido, nullumque peccatum superare possit, sed ad memoriam ejus, totius peccati & mortis fugiunt exercitus. Nullus dæmon prope stare poterit videns gladium, quo dejectus est. Et alibi idem.

Certum est, quia ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatũ. Est enim tanta vis crucis Christi, ut si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita ut ipsa mors Christi intentis oculis inspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia, sed continuò ad ejus præsentiam totius ille peccati, & carnis fugatur exercitus.

105. Anima mea, sufficiat tibi infimam conditionem in servitio Christi nancisci; licet alios cernas in ejusdem obse-

obſequio honoratiori loco & officio fungi. Ille, qui dignus judicatus eſt (ait S. Baſilius) ut Deo ſerviret, aliunde laudem petet, tamquam ipſi non ſatis ſit appellatio Domini ad omnē gloriæ, & claritudinis exuperantiam? Accedit propriùs Lucas Abbas: in ſingulis laudibus mēbrorum dilecti Chriſti, ſingulæ chariſmatum donationes demonſtrantur, quatenus non doleat unuſquiſque ſingulas minimè poſſidere, dummodo unam quamlibet gratiam poſſidendo in Chriſti corpore membrum eſſe merea-

mereatur. Huc quoque respicit dictum sancti Dorothei: Caput sunt, qui administrant, qui verò speculantur & corrigunt, oculi; qui sermone prosunt, Os; qui obediunt, Aures; qui exercentur, Manus; pedes, qui reddunt responsa, & Administratores sunt. Caput igitur es? administra. Oculus es? adverte animum, & cogita. Os es? lóquere adjuva. Auris es? pareas. Manus es? operare. Pedes? guberna,

106. Anima mea, Concionatoris officio si clares, exemplo,

emplo Christi facere priùs, quàm docere exordiaris, neque pascas oves tibi concreditas ore tantùm, uti avis pullos suos, sed verbo opus, facundiæ bonam adjungas vitam. Idipsum sanctus Athanasius poscit. Quicumque vult alios docere, decet illum, qui alios docet, inprimis operari virtutes. Ita fiet, ut aliis quoque possit impertiri dona: nam si quis aliquem oleo suis manibus uncturus oleum non habeat, quomodo impertiverit aliis id, quod ipse non habet? ad eumdem modum de iis, qui

docent alios est sentiendum. Non discordat hîc S. Dorotheus. Cùm fueris fratrum institutor, & Doctor, eos potissimum cura cordis severitate, & visceribus misericordiæ instruere, eos verbo & exemplo, quæ agenda sunt, edoceas, atque exemplo magis & opere, cùm magis operentur exempla, & fortiùs moveant.

107. Anima mea, in oratione Dominicâ verba hæc, Qui es in cœlis, ponuntur; ut inde colligas professioni tuæ congrua à Deo petere, conditionemque orationis deprehendas.

hendas. Nam ea, quæ petũtur (inquit Abulensis) debẽt, esse talia, qualis ille, à quo petuntur. Sicut pudor esset à milite libros petere, & à Clerico canes Venaticos, vel equum phaleratum, ita & pudor est à cœlesti terrestria petere. Ut autem celeriùs adipiscaris, quod petis, maximâ id fiduciâ ac securitate obtinendi flagitandum. Benè Nicolaus de Lyra. Quærens aliquid habet materiam lætitiæ, quando est certus de inventione. Quçrentes autem Dominum fideliter, inveniunt eum infallibi-

libiliter secundùm illud Matthæi: Omnis qui quærit, invenit: ideo subditur: Quærite Dominum & confirmamini: id est sitis certi de invētione.

108 Anima mea, omnem adversitatem, omnem afflictionem, etiam ipsam amarissimam mortem æquissimo achilari animo tolerabis, ubi penitiùs Christi passionē mente revolveris. Quantumlibet nobis anxietatum (sic habet Sidonius Apollinaris) pateras vitæ præsentis propinet afflictio, parva toleramus, quid biberit ad patibulum, qui invitat ad cœlum.

lum. In eamdem sententiam S. Gregorius graditur. Si Passio Christi ad memoriam revocetur, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter toleretur. Huic subsignat S. Bernard⁹. Quem laborem usque ad mortẽ onerosũ reputabit, vel superfluũ, qui pro se Dei filium recolit crucifixum?

109. Anima mea, parum est subditos ab insultũ Inimicorum defendere, omnem substantiam, facultates ac vires pro iis conservandis exerere, nisi eosdem pabulo divini verbi sustentes, vitamque pro eorum tuitione (ubi neces-

necessitas exigit) exponas exemplo Christi, qui animam suam posuit pro ovibus suis, id est subditis Eruditè non minùs ac piè S. Gregorius disserit hâc de re Christus verꝰ Animarū Pastor fecit, quod monuit, ostendit, quod jussit; Bonus Pastor pro ovibus suis animam suam, posuit, ut in Sacramento nostro corpus suum, & sanguinem verteret, & oves, quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret.

110. Anima mea, sicut nō potes operari bonum, nisi habueris adjutorium Dei, sic nec Deus bonum operatur

in

in te, nisi cooperari volueris ejus adjutorio. Peroppor- tunè sanctus Basilius huncin modum sermocinatur. Neque in rebus bonis conatus humanus sublatâ ope divinâ, perfectè umquam, quod vult poterit adipisci. Neque item vicissim divinum præsidium nullo nostro studio vẽturum putandum est. Sed ad perfectum virtutis cumulum conjuncta simul esse utraque hæc oportet, & humanum studium, & auxilium cœleste, fidei operâ ascitum & comparatum.

III. Anima mea, vera sa- pientia

pientia est mandata Dei servare, vera mentis delectatio ejus doctrinâ pasci, vera dulcedo ejus monita adimplere. Inde Regius Psaltes Deo modulatur: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo! non ait ventri meo, sed faucibus meis, non stomacho meo, sed ori meo: ac si diceret: venter carnalitatis mole premitur, sed palatum cordis intus sapore dulcedinis delectatur. Quia etsi foris infirmitatem gravat labor operis: intus tamen desiderium pascit dulcedo, & gustus suavitatis.

vitatis. Hinc eleganter Hugo Victorinus inquit: Cibus corporalis carnem reficit, sapientia mentem pascit. Cibus corporalis tria habet in se, saporem, nutrimentum, massam. Sapor delectat, nutrimentum sustentat, massa onerat: sapor quodammodò spiritualis est, & ideo solummodo delectat non gravat, gula percipit saporē, stomachus nutrimentum & massam, alterum ad refectionem, alterum ad gravamen. Inde est, quòd fames in faucibus satiari numquam potest, quia ibi nec appetitus

mensuram habet, nec delectatio finem.

112. Anima mea, quidquid facis pro bono corporis videtur tibi parum, ac facile: quidquid tuimetipsius bono, multum ac difficile, nequaquam dijudicans tuam præ corpore excellentiam, & salutem, quam tantopere Christus anhelabat, ut modicum ipsi fuerit ob infinitatē amoris erga te, crudelissimū passionis ac mortis subire tormentum. Hæc Joannes Osorius de Christo perhibet. Modicum ei videtur totum, quod patitur, quia caritas in

immen

immensum excedit passiones. Sed attende, quàm diversi, ac desides à Christo nos simus. Ille modicum dicit omne, quod pro nobis sustinet; nos verò si aliquid pro eo facimus, aut sustinemus, non modicum, sed maximũ esse putamus, nosque lassos dicimus, nec jam sustinere posse. Unde & dicimus; quis tantum ferat jejunium? tantas confessiones? Huc etiam Petrus Chrysologus exclamat. Quando tantum DEO, quantum mundo, quando, tantum cœlo, quantum terræ, quando tan-

tum

tum virtuti, quantum vitiis fragilitas humana famulatur? totus homo miser sic carni deditur, sic rebus præsentibus occupatur, ut nihil in se, quod futuræ vitæ, quod divinis bonis deserviat, derelinquatur.

113. Anima mea, vis vitæ tuæ caducitatem ac vanitatē cognoscere? Sanctum Gregorium Nazianzenum ita differentem ausculta. Ejusmodi vita nostra est fratres, qui vitam fluxam ducimus: ejusmodi in terrâ ludus, ut cum non sumus, nascamur; cum nati sumus, rursus dissolvamur.

vamur. Insomnium sumus, minimè consistens, spectrum quoddam, quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, nauis in mari vestigiũ non habens, pulvis, vapor; ros matutinus, flos suo tempore nascens, & suo tempore marcescens.

114. Anima mea, Christus Dominus propter te vixit, & propter te mortuus est, ut talionem reddendo, ipsi viveres, & morereris. Loquere igitur liberrimè ad eũ cum Hugone Cardinali: Dilect⁹ meus mihi: totus vixit, & totus mihi mortuus est, tota vi-

ta ejus, & tota mors mihi fuit, id est propter me. Ego illi similiter totus vivam, & totus moriar; & hoc est, quod dicit Paulus: Sive vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Fœlix mors (inquit Bernardus) quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Mors somnus justorum; requies amicorum Dei.

115. Anima mea, frequenter propter tuam ingratitudinem erga Christum pro te natum passum ac mortuum, dęmonibus occasionem prębes de tuâ malitiâ contra

Christi nativitatem, passionem, ac mortem gloriandi. Quod accuratè notat sanctus Basilius sequenti eloquio. Dæmon capitalis hostis noster solet nostram Deo exprobare negligentiam, & super inobedientiâ nostrâ superbè gloriari; qui cùm neque finxerit, neque mortem pro nobis oppotierit, habet nos tamen (proh dolor) & inobedientiæ, & negligentiæ, quâ in præceptis Dei tenendis sumus, imitatores sedulos Hoc quidem opprobrium contra Majestatem Domini; quòd nimirum I-

nimicis Christi ansam præbemus janctantiæ, & elationis cum ipsum, qui pro nobis morti se objecit cōtemnēdo.

116. Anima mea, bene facis, quòd te crebriùs sacerdotum precibus commendes, nec tamen ideò alienis precibus tuas associare negligas, uti te Anastasius Sinaita admonet. Junge clamorem tuum (ait ille) cum sacerdote. Da teipsam pro tuâ salute: multum valet deprecatio justi assidua & efficax, sed efficax erit, si & tu cum sacerdote partes tuas copules, fructusque pœnitē-

tiæ

tiæ demonſtres. Quia unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt illis, niſi labor? Benè hîc Plinius: Diſpice, ne ſit parum providum ſperare aliis, quod tibi ipſi non præſtes.

117. Anima mea, ſi myſteria in libro Canticorum abſcondita intelligere affectas, amor te erudiet, ſi eo fueris inflammata. Amor ubique loquitur (mellifluus Doctor aſſerit) & ſi quis horum, quæ hîc leguntur, cupit adipiſci notitiam, amet. Alioquin fruſtra ad audiendum, legendumue amoris carmen, qui

non amat, accedit: quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium, frigidum pectus. Quomodo enim græcè loquentem non intelligit, qui græcum non intelligit, qui græcum non novit: nec latinè loquentem, qui Latinus non est: sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit.

118. Anima mea, peccatū est causa pœnæ, purgatorii, inferni, mortis, judicii ac privationis regni cœlorum: hoc unicum tolle, & cætera omnia tolles. Etenim supplicium peccati (ait Joannes Clunia-

Cluniacensis) est ipsum peccatum. Prima illa (asserente Senecâ) & maxima pœna peccantium peccasse. Nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, impunitum est; quoniam sceleris in scelere supplicium est. Hinc Isidorus Pelusiota certis peccatoribus scribens, dicit: si ad ea perpetranda, quæ perpetratis, ea vos causa impellit, quòd judicium handquaquam expectetis, illud sciatis oportet, improbitatem, etiamsi nullum aliud supplicium accedat, supplici-

um per se esse, virtutem contra etiam citra coronas, coronam esse. Minimè hic Aristoteles suâ assertione discrepat: Quod si scirem Deos ignoraturos, & mihi ignoscituros, tamen propter peccati turpitudinem peccare nollem. Audet hæc Ethnicus, & non audebit Christianus?

119. Anima mea, Deus tibi fecit eleemosynam, corpus proprium morti tradendo, ut tu faceres eleemosynam illi, buccellam panis pauperi misericorditer porrigendo. Hanc erga egenos benig-

benignitatem Salvator in suo sancto Evangelio hisce verbis insinuat. Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Date: & dabitur vobis. Date: sed quid? beneficia temporalia. Et dabitur vobis, & quid? vita æterna. Sanctus Gregorius Nazianzenus eleemosynam commendãs, inquit: Præstabilius habetur beneficium dare, quàm accipere, atque antiquior est misericordia, quàm lucrum.

120. Anima mea, quàm misera est naturæ tuæ conditio! prona existis ad malum,

lenta ad bonum, appetis terrena, negligis cœlestia: aliena auges, tua minuis: aliis es delectationi, tibimetipsi oneri, corporeaq; curas Spiritualium pertæsa. Opportunè Ambrosius. Si aurum tibi offeram, non dicis mihi cras veniam, sed jam exigis. Aurum accipere nemo differt, nullus excusat. Redemptio Animæ promittitur, & nemo festinat. At qui ad vitam sæcularem (inquit S. Ephræm) proclives sunt, quæ spiritualis sunt vitæ audire nolunt, contra de vitiis, ac voluptatibus agentes, nullâ capi-

capiuntur ſatietate, quin & cibi, ſomnique beneficio privari malunt, quàm ejuſmodi ineptiis finem imponere.

121. Anima mea, ſiquidem Chriſto ſervire pro dignitate renuis, necpro ejus honore quidpiam boni agere aut pati meditaris propriæ ſalutis procurandæ prorſus oblita: Chriſtus paratum ſe exhibet tibi ſervire, ac pro te pati. Inde Guarricius Abbas in Perſonâ Chriſti ſermocinatur. Non ſerviam (inquit homo) Creatori; Ego igitur ſerviam tibi (inquit Creator

tor homini) tu recumbe, ego ministrabo, ego tibi pedes lavabo. Tu quiesce, ego languores tuos feram, infirmitates portabo; utere me, ut libet, in omni necessitate tuâ, non modò ut servo tuo, sed etiam ut jumento tuo. Si fatigatus, aut oneratus es, ego te & onus feram. Si esuris, aut sitis, & ad manum fortè nihil melius habes, ecce ego paratus immolari, ut carnes meas comedas; & sanguinem meum bibas. Si in captivitatem ductus es, Ecce ego, vende me; teq́ue pretio mei, vel me ipso pretio

tio redime. Si infirmari, & mori times, ego moriar pro te, ut de sanguine meo præbeas medicamenta vitæ.

122. Anima mea, duæ uxores (ut ita loquar) tibi jũgi desiderant, voluptas nimirum, & Virtus: hæc gratiosa, dives, prudens, nobilis & honesta. Illa turpis, pauper, immorigerata, insipiens, ac sensualis. Ambabus placere nequis, quia sibi ambæ inimicæ. Sed (proh dolor) quòd voluptati adhæreas virtute repulsà, quæ jure merito sequentibus disti-chis apud Nasalicẽ Sicyoniũ conqueritur.

Infœlix dudum virtus lacerata capillos,
Ecce Voluptati turpiter assideo.
Quam dolor immodicus carpit, quia prava voluptas:
Me potior cunctis, creditur esse Viris.

Quare non inconvenienter Philo Hebræus inquit: Duas unusquisque nostrûm uxores habet in suo contubernio, easque infensas sibi invicem, & animæ domum replentes contentionibus Zelotypis; harum alteram diligimus, quasi amicã, blãdam, & familiarem, quæ vo-

luptas,

luptas dicitur; alteram odio prosequimur, ut immitem, acterricam, hæc virtus nominatur.

123 Anima mea, licet spirituali Eleemosynâ omnibus per universum terrarum orbem egenis cibi, potûs, pecuniæ, vestium, habitationis, sanitatis: obnoxiis fami, bello, pesti, damnationi ad triremes & sectiones lapidũ, obsessioni dæmonum, alienationi à fide Catholicâ: Infantibus periclitantibus ante Baptismum, Agonizantibus, existentibus in peccato mortali, & animabus Purgatorii,

torii, oratione ſcilicet ſubvenire valeas, ac debeas; corporali tamen eleemoſynâ non item; Ut bene advertit S. Auguſtinus. Cùm omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimùm conſulendū eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictiùs tibi quadam ſorte junguntur. Quia non tenetur homo per mundum quærere indigentes, quibus ſubveniat, ſed ſufficit, ſi eis, qui ſibi occurrunt, miſericordiæ opus impendit. Unde dicitur in Exodo: ſi occurreris

bovi

bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc cũ. Addit autẽ *Et temporũ*; quia non tenetur homo futuri necessitati alterius providere, sed sufficit, si præsẽti necessitati succurrat.

124. Anima mea, rationem, cur Christus Dominus ductus est in desertum, ut tẽtaretur à Diabolo, affert Theophylactus. Ducitur autem in desertum (ait ipse) ut ostendat nobis, quòd diabolus tentat nos, quando viderit solitarios, & non ab aliis adjutos. Hinc discas æstimare piorũ sodaliũ convẽtꝰ & Monachorũ, Regulariũque san-

sanctas cōgregationes, quas hunc in modū sanctus Basili⁹ laudibus exornat. Huic vitæ instituto, quid est tandem, quod jure æquiparari possit? quid eo beati⁹ dici? quid hac cōjūctione, necessitudine, & unitate apti⁹ excogitari? Hi vitæ diligēter communitate retentâ Angelorū vivendi ritum imitantur. Causam subjungit Petr⁹ Chrysolog⁹: quia viventi inter tot virtutū duces, criminum tenebræ propinquare non possunt.

125. Anima mea, si quid virtutis per gratiam Dei in te est, si quid scientiæ, si quid facul-

facultatis, si quid bonorum, si quid talentorum corporis ac animi, omnibus prodesse indiscriminatim hisce donis studeas imitando divinam bonitatem, quæ omnibus cujuscumque conditionis, ac statûs hominibus abundè communicatur. Omnibus Deus communiter (inquit Joannes Climacus) proponitur, omnibus vita, omnibus salus, fidelibus, & infidelibus, justis, iniquis, piis, impiis, sæcularibus, monachis, sapientibus, rudibus, sanis imbecillibus, provectioribus, juvenibus, non aliter, quàm

quàm infuſio Solis, & ſolis aſpectus, temporumque viciſſitudines.

126. Anima mea, ſi aliis es Prælata, Magiſtrorum ſedulitatem tibi imitandam ob oculos fige, qui diſcipulis omnia etiam minima ad eorum eruditionem ſpectantia, diſcenda tradunt. Quod à te idem fieri S. Ephræm expoſcit: Præceptores (inquit prætactus) non ſolùm elementorum ſcholaribus oſtendunt figuras, ſed & minima quæque puncta, diſtinctionesque proponunt. Atqui ſic oportet Prælatum nihil

hil quantumvis minimum, quod ad salutem pertinet, omittere, quin fratribus proponat, ut ad optimum statum, formamq́; reducantur.

127. Anima mea, in quâcũq́ue tuâ necessitate spem tuam in Deum loca, super Dominum cum Davide curam tuam jacta, & ipse te enutriet. Fac item pactum cum Deo, quale fecit S. Catharina Senensis, cujus verba hæc sunt: Cogita tu de me, & ego cogitabo de te. Impende te totam in servitium Dei, & Deus se totum impendet necessitatibus tuis succur-

currendis, ac etiam in deserto, ut olim quinque millibus Virorum, convivium tibi parabit. Non enim otiosis (ait S. Ambrosius) non in civitate, quasi in Synagoga, vel sæculi dignitate præsidentibus, sed inter deserta quęrentibus Christum, hoc est per sudores ac labores eum sequentibus, Deus liberalitatem suam etiam miraculosè impertitur.

128. Anima mea, sicut secundùm legem dominii, subditi tenentur aperire portas loci Domino, sive iratus, sive placatus venerit, ita & tu

Deo ſubditâ ratione ſupremi dominii, teneris ei aperire portas cordis tui, ſive iratus, ſive placatus venerit, id eſt ſive adverſitates, ſive proſperitates tibi immiſerit. Eleganter ſanctus Ephram. Quemadmodum incus aliqua, licet ſemper verberetur, non tamen dat tergum, neque concavitatis formam in ſe recipit, ſic & qui verum ſe vult gerere Chriſtianum, unus & idem maneat oportet, fortiter quæcumque obvenientia perferens.

129. Anima mea, ſine afflictione, ſine dolore, ſine ſuſpi-

ſpiriis, ſine lacrymis, ſine pœnâ haud vales converti verè ad Deum, cœleſtibuſque perfrui deliciis. Quia qui ſe in hoc exilio (ait D. Gregorius) per deſideriorum cœleſtium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non deguſtat: à veritatis enim pabulo jejuni ſunt, qui in hâc peregrinationis inopiâ lætãtur. Huic ſuffragatur ſancta Syncletica dicens. Labor eſt, & magnum certamen inprimis eis, qui convertuntur ad Dominum, & poſtea inenarrabile gaudium. Sicut enim, qui ignem accẽdere volunt, priùs

priùs fumantur, & ex fumi molestiâ lacrymant, sicque obtinent, quod volunt. Scriptum est in Deuteronomio. Quia Deus noster ignis consumens est; ita oportet, & nos divinum ignem cum lacrymis, atq; laborib' in nobismetipsis accendere.

130. Anima mea, cum quãtâ sollicitudine, cum quantâ curâ, cum quantâ temporis & loci opportunitate malũ: & cum quantâ segnitie, cum quantâ negligentiâ, cum quantâ lentitate, cum quantâ desidiâ bonum operari allaboras. Jure Oleaster hic

exclamat. Utinam, qui bona agunt, sic opportunum ad hoc tempus quærerent, quēadmodum peccatores. Norunt ergo peccatores suam opportunitatem malis operibus quærere, quam boni vix ad bona opera curant. Observavit nequam Cain tempus, quo fratrem solum inveniret in agro, ubi, qui prohiberet, non inveniretur, neque qui accusaret, adesset. & alibi ille idem. Quis mihi daret, ut sic justi scirent tempus aptare ad opera virtutis, quemadmodum vitiosi & peccatores ad peccata sua.

131.

131. Anima mea, misericordiam apud Deum, & peccatorum remissionem indubitanter consequêris: ubi eum exemplo Regii Vatis nō solùm verbis, sed lacrymis ac gemitib⁹ & vitę correctiōe placaveris. Non omnis (ait Salvator) qui dicit mihi Domine, Domine intrabit regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem Patris mei. Hoc idem Origenes insinuat sequentibus verbis: Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute; non in nomine solo satisfacies Domino, sed in invocatione dilectionis,

& charitatis, in confessione, & emendatione veraci, in observatione mandatorum ejus, & operibus bonis.

132. Anima mea, ita omnibus virtutibus exercendis & divinis mandatis servandis operam dare oportet, ut nulli peccato, nulli vitio, nulli defectui pateat locus. Bonũ enim ex integrâ causâ, malum ex quovis defectu censetur. Hinc dicit sanctus Basilius. Iniquus quidem est, quisquis legem non integram servaverit, aut etiam, qui unum illius mandatum transgressus fuerit; immodi-

cæ namq; particulæ defectu, totum periclitatur. & S. Gregorius expendens post virtutum enumerationem jactantiam Pharisæi superbam de jejunando bis in Sabbatho, perhibet. Ecce Pharisæus ad exhibendam abstinentiam, ad impetrandam misericordiam, ad referendas Deo gratias oculum habet, ad humilitatis custodiam non habet, & quid prodest, si tota Civitas custoditur, & unum foramen, per quod hostes intrẽt, relinquatur?

133. Anima mea, tunc miserrima es & infoelicissima, &

omnimodæ adversitati obnoxia, omni creaturæ cœlesti & terrestri exosa, ab omnibus derelicta, cunctis bonis spoliata, cunctis malis adjudicata, Lucifero ejusq; asseclis subdita, gehennæ ac mortis æternæ rea, quando Christum per peccatum futiliter perdidisti. Peritè Petrus Chrysologus de tuo infœlici statu hâcce similitudine discurrit. Quod est Anima corpori, hoc est Animæ Christus: sine anima corpus non vivit, non vivit Anima sine Christo: recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis

vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedūt: discedente Deo, confestim venit peccatorum fœtor, cōscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro vivo, funus animæ jam sepultę.

134. Anima mea, non potes graviùs affligere dœmonem inimicum tuum capitalem, quàm pia pro peccatis commissis lachrymarum effusione. Satan tolerabiliùs (affirmat Petrus Celensis) sustinet flammam suam, quàm lacrymam nostram; acriusque cōtriti cordis lacrymá,

 quàm

quàm flammâ infernalis incendii movetur. Et Antiochus considerans S. Petrum post negationem Christi flentem ait: Hanc Petri magnanimitatem hostis cum videret, nulli dubium sit, quin se illinc concitus proripuerit ingenti cum ejulatu, ac si ei igne facies conflagrasset.

135. Anima mea, tunc revera imperiali fulges dignitate, quando imperare voluptatibus vales, & coronâ castitatis revincta, atq; purpurâ justitiæ induta incedis. Tunc Regio diademate digna existis, quando tentationum

num motibus non consentis. Tunc Heroum laureâ insigniris, quando domesticos, non exteros hostes devincis. Disertissimè Petrus Chrysologus hâc super re philosophatur. Bella gentium legimus superasse quàm plurimos, quos tamen pugnas carnis non legimus vicisse: & audivimus eos dedisse pectora, qui hostibus dorsa non dederunt? Proh dolor! Victores gentium, vitiorum fuisse captivos: nationum Dominos turpi servisse criminibus servitute, stetisse inter sævientes gladios, & inter ener-

vata lenocinia corruisse: Regnis fuisse terrori, ludibrio fuisse peccatis; adversas acies contrivisse jejunos, & crapulatos suarum castra dissolvisse virtutum; jacuisse effuso vino, qui jacêre effuso sanguine nescierũt. Idipsum Plato dilucidat & cõcludit. Vincere autem seipsum omnium victoriarum prima & optima. Vinci autem à seipso turpissimum est: & pessimũ.

136. Anima mea, rarò cernis pecuniâ donatos sapientes, sed frequenter Idjotas, qui pecuniæ serviunt, cui dominari deberent. Quam rem

Pius

Pius secundus Papa sic rimatur. Ne mirere (ait) non fortuna est, quæ viros bonos pecuniis privat; sed habent ipsi nummi nescio quid sensûs. Sunt enim ambitiosi, & honoris cupidi, non teneri, sed tenere volunt. Ipsi quietem amant, libenter apud avaros sunt, qui eos scrutiniis claudentes singulis horis visitant, ac honorant, nec alibi cor habent, quàm cum eis. Apud sapientem sunt pecuniæ, quasi ancillæ; nunc huic rei, nunc illi servientes.

137. Anima mea, potiorem vitæ tuæ cursum in servitio Dei

Dei insumere, ac exiguo tempore corporis necessitatibus servire decens est, si perfectionis Evangelicæ imitari normam meditaris. Mercenarius (dicit Chrysostomus) totam diem circa Domini opus impendit; unam autem horam circa suum cibum, sic & nos omne temp⁹ vitæ nostræ debemus impendere circa opus gloriæ Dei; modicam autem partem circa usus nostros terrenos. Tria autem sunt signa verę perfectionis, justitiæ ac rectitudinis Evangelicæ: videlicet, cogitare sancta, loqui, & operari.

Hæc

Hæc Deum sibi revelasse in quodam colloquio sanctus Franciscus Seraphicus testatur. Rogavi Dominum (verba ejus sunt) ut mihi dignaretur ostendere, quando servus sum Dei, & quando non; Ipse autem Dominus benignissimus suâ dignatione respondit mihi sic; meum servum veraciter te esse cognosce, cùm sancta cogitas, loqueris, & operaris.

133. Anima mea, in prædicatione Evangelii duo tibi sunt observanda. Alterum ut priùs id, quàm dicas, facias; nam in mortalibus secun-

dùm Aristotelem magis opera movent, quàm verba. Alterùm ut à prædicatione non desistas ob Auditorum pertinaciam & defectum profectûs spiritualis: nam per hoc mercedem laboris nequaquam perdis. Ad primũ te hortatur S. Hieronymus. Non confundant opera tua sermonem tuum, ac cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet rẽspondeat, cur ergo hæc ipse non facis? Ad secundũ Cyrillus Alexandriin⁹. Putaret quisquam amissùm esse prædicationis laborem, si Auditoribus non persuasit, quod

quod ita non eſt: nam qui probè conſuluit, & conſulere non deſinit, facit, quod potuit, & præmio non carebit. Credere autem, & non credere, non in ipſo, ſed in audientium voluntate poſitum eſt. Non ergo in ſeminando Verbo Dei deſperare debemus, ſed quæ nobis poſſibilia non ſunt, divinæ Majeſtati relinquenda ſunt.

139. Anima mea, uti nulla menſa, nullum convivium, nullum prandium, nulla cœna eſt ſine pane; ſic nullum opus, nulla actio, nullus ſermo, nulla cogitatio abſq; recor-

recordatione mortis præter-labi debet. Id intimat Joannes Climacus similitudine perseleganti. Sicut cibis omnibus panis vilior est, & magis necessarius, ita præstat omnibus operibus mortis cogitatio. Et Pater Evagrius addit. Ad omnem anhelitum nomen JESU, & mortis meditationem adjunge; ingentem enim utilitatem ambæ afferre consueverunt.

140. Anima mea, tanti æstimaris à Christo Domino, ut pro te redimenda nasci, pati & mori non dubitaverit: & licet quandoque te cum S. Jobbe

Jobbe à diabolo vexandam variis modis permittat, numquam tamen sequentem exceptionem excludit. Ecce in manu tuâ est; verumtamē Animam illius serva. Quæ postrema verba exactè Origenes interpretatur. Animam ejus ne tetigeris, ne huic appropinquaveris, neque communicaveris, neque commiscearis, neque obtuderis, neque fatigaveris, neque deceperis.

141. Anima mea, quomodo potes diabolo adhærere, ejusque operibus ac pompis delectari? qui continuò usque

que ad extremum vitæ halitum innumeras & fallacissimas struit insidias, ac omnibus modis æternam salutis tuæ quærit perditionem. Mihi credite (affirmat Julius Firmicus) nihil prætermittit diabolus, quo hominem miserum, aut debilitet, aut perdat, ideo sese in omnes formas multiplici diversitate convertit, ideo sese diversi generis calliditate cōponit, ut variis, ac multiplicibus fraudibus homines irretitos interimat.

142. Anima mea, indecēs est, appetitui sensitivo tanto-

pere

pere indulgere, tantâ curâ & cupiditate ventri implendo studere, quem natura paucis docuit contentare. Panis enim alimento (ait Philo Judaicus) contentus esse potest sectator sapientiæ, habiturus sanum corpus, & mentem sobriam. Nec absque causâ Tertullianus conqueritur: Onerosi sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt, & querelæ apud omnes, dum jã nos natura non sustinet. Hinc etiam Seneca Ad Lucilium ait. Aspice culinas nostras, & concursantes inter tot ignes coquos nostros. Unum

videre

videre putas ventrem, cui tãto tumultu comparatur cibus. Aspice plena multorum sæculorum horrea. Unum putas videre ventrem, cui tot consulum, regionumque vina conduntur. Aspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arẽt, fodiant. Unum putas videre ventrem, cui & in Siciliâ, & Africâ seritur. Ita voluptas non naturalis est, non necessaria, huic nil debes. Si quid impendis voluntarium est. Venter præcepta non audit, poscit, appellat.

143. Anima mea, magnæ virtutis

virtutis est opes ac delicias contemnere; majoris autem gloriam aspernari, quæ sepissimè ad maxima flagitia impellere solet. Hinc illud Christi ad omnes: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Avidissima honoris (Aenes Sylvius testatur) humana mens faciliùs opes, quã gloriã partitur. Potuit Capistran⁹ Dęmonũ terror, patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem subigere, gloriam verò sperne-re non potuit. Rem urget Gregorius. Quum bene vivitur valde timendum est: ne mens

mens despectis cæteris de gloriâ singularitatis eleve-tur.

144. Anima mea, perfe-ctio juvenis ac senis non tem-poris diuturnitate sed meri-torum virtute, non capitis, sed sensûs canitie, non vitæ corporalis, sed spiritualis augmento mensuratur. Hinc illud Algerii. Quomodo Jo-anne nemo major surrexisset cùm Abraham, Isaac & Ja-cob, & cæteros quàm plures, in obsequiis divinis diutiùs laborasse constet? sed evidẽs, pro certo, quia & si plures eo laboraverunt diutiùs, nemo

ser-

ferventiùs & puriùs, qui tempore juventutis suæ inventus est in tentatione fidelis & fortis.

145. Anima mea, ad convivium Christi accedere sine veste nuptiali non convenit, id est ad sumendum Ter Venerabile Eucharistiæ sacramentum sine charitate, nec tibi difficultas hujus vestis acquirendæ in excusatione patrocinatur. Etenim potes dicere (ait Cæsarius) facultatē non habeo erogandi eleemosynam propter paupertatem, jejunandi propter infirmitatem: numquid potes dicere

dicere bonam voluntatem amandi habere non possum? Quid hic molestum (approbat Philo Hebræus) est, aut difficile? non juberis maria numquã priùs tentata trajicere, & tempestate furente in mediis fluctibus hinc indejactari, procellis inter se conflictantibus; non itinera ingredi feris infestata, & latronibus, satis est, si annuat animus.

146. Anima mea, salvator omnes fideles nimiam & superfluam terrenarum ac temporalium rerum curam ex conditionibus volatilium

cœli negligere & in se sperare informavit, dum ait: Respicite volatilia coeli: quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater noster cœlestis pascit illa. Et illico facit contrapunctum sanctus Joannes Chrysostomus asserendo: Non dixit respice, quia volant aves, quod nobis certè impossibile est prorsus imitari, sed, quia absque sollicitudinis suæ præparatione, pascantur, quod nos quoque si volumus, facilè quimus implere.

147. Anima mea, corporis

ſenſus habent ſuas volupta-
tes, & animus cur privatur
voluptatibus ſuis? amatur à
te creatura, & cur non Crea-
tor? carni & ſanguini con-
cedis ſuas, quandoque incō-
venientes etiam delectatio-
nes, & teipſam cur laudabi-
li Chriſti conſuetudine dele-
ctabiliq́ue privas? Benè Au-
guſtin⁹. Si Poëtæ dicere licu-
it, trahit ſua quemq́ue volu-
ptas, non neceſſitas; ſed vo-
luptas, non obligatio, ſed de-
lectatio, quanto fortiùs nos
dicere debemus, trahi ho-
minem ad Chriſtum, qui de-
lectatur beatitudine, dele-
ctatur

ctatur justitiâ, delectatur sempiternâ vitâ, quod totum Christus est. Huc facit illud Theodori Studitæ. Ecquid est autem hero Christo formosius? ecquid beato ejus amore suavius? num dulcedo, & totus deliciæ?

148. Anima mea, factura ad Deum orationem imitari superbum illum Pharisæum & stando orare noli, sed genuum flexione Deum adora, & infallibiliùs petitiones tuę optatum sortientur effectũ. Considerandum est, (dicit Cæsarius de Pharisæo) & timendum, ne pro eo, quòd

ſtans oraverit, ideo non meruerit exaudiri. Rem terrenam ab homine terreno quęrimus, & propè uſque ad terram nos humiliter inclinamus, & à Deo remiſſionem peccatorum, & æternam requiem requirentes, nec capita noſtra inclinare dignamur.

149. Anima mea, Divinus Magiſter actus pœnitentiæ, ac pręcipuè corporis per jejunium macerationes hilariter exequi ad evitandam vanam gloriam docet, dum inquit: Cùm jejunatis, nolite fieri ſicut Hypocritæ triſtes, exterminant

minant enim facies suas, ut videantur ab hominibus jejunantes. Cujus verba subtiliter sanctus Joannes Chrysostomus sic enucleat. Sciens autem Dominus, quia non potest fieri, ut sit hilaris, qui jejunet: ideo non dixit. Nolite esse tristes, sed nolite fieri tristes. Aliud est enim esse tristem, aliud fieri tristem; qui enim naturaliter propter assiduum jejunium tristis est, ille est tristis; non autem fit tristis; qui autem per imposturas aliquas pallentes apparent, illi non sunt, sed fiunt tristes.

150. Anima mea, si ad Deum revertendũ tibi est, redi seriò ex animo, fervideque; meliùs est enim nihil facere quàm ita facere ut nihil facias. Sed quâ viâ? pœnitẽtiæ. Quia per hanc & non aliter venitur ad pacem Dei. Abstinentia (ait S. Ephræm) lacrymæ, preces, vigiliæ, ipsæ sunt, quæ in cœlum ducunt ad Dominum. Sed quando? quam primum sine ullâ dilatione. Ne tardes (Ecclesiasticus monet) converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

te. Et Augustinus. Qui pœnitentiam differt ad diem obitûs, à merito pœnitentiæ est æternaliter alienus, quia pœnitentia serotinò est vera. Si tunc vis agere pœnitentiã, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Et sanctus Hieronymus exclamat: Væ illis, qui tunc habuerunt terminum luxuriæ, quando & vitæ; qui dum sanus est, & juvenis Deum offendere non formidat, in morte non merebitur divinam indulgentiam.

151. Anima mea, ad bene regendum opus est rigore,

 leni-

lenitatis virtute temperato, ne pœna, tyrannidis, & correctio, vindictæ, ac ædificatio, destructionis nomen sortiatur. Nec in disciplinæ rigore (ait Sanctus Gregorius Magnus) benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine, districtionē deserant disciplinæ: regat ergo disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendatur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mãsuetudo dissoluta.

152. Anima mea, in scholâ Christi unusquisque pro eo, quod

quod eſt, habetur, pius pro pio, impius pro impio, juſtus pro juſto, peccator pro peccatore, virtuoſus pro virtuoſo, vitioſus pro vitioſo. Hinc Chriſtus poſt reſurrectionem diſcipulos ad mare huncin modum interrogando appellavit: Pueri numquid pulmentarium habetis? cujus inſolitæ Dominicæ interrogationis opportunam Petrus Chryſologus adſtruit rationem. Quia eos fidei virtute reppererat deſtitutos, & à virili robore invenerat perdejectos, arguit tales pueros eſſe nuncupandos; cùm di-

cit, numquid pulmentarium habetis? ibi erat Petrus, qui negaverat; Thomas, qui dubitaverat; Joannes, qui fugerat; non ergo ut fortissimos milites, sed pueros compellat, ut timidos, & quos idoneos necdum deprehendit ad prælium, ut teneros invitat ad mensam dicendo: Pueri, numquid pulmentarium habetis?

18. Anima mea, non adeo laudabile est, Deum benedicere in omnimodâ prosperitate ac rerum cunctarum affluentiâ, sed in adversitate, omniumque penuriâ. In no-

ctibus

ctibus (inquit David) extollite manus vestras ad sancta, & benedicite Dominum. Facilè est enim (ita sanctus Augustinus) benedicere in diebus. Quid est in diebus? in rebus prosperis. Non enim res tristis est dies, res est læta. Quando tibi bene est, benedicis Dominum. Quando benedixit Job? quando tristis nox erat. Ablata sunt omnia, quæ possidebantur, ablatis filiis, quibus servabatur, quàm tristis nox? sed videamus, si non in noctibus benedicit. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino

mino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.

154. Anima mea, Dominus Deus non munera dantis, sed animum; non quantitatem oblationum, sed qualitatem; non multitudinem & facilitatem, sed paucitatem & difficultatem probat earumdem. Hinc obuli, quàm ducati oblatione majus meritum apud Deum adipisci quandoque potes, si illum cum difficultate ob propriam inopiam, hunc verò, cum facilitate propter opulentiam largiris. Exemplo sit pauper-

paupercula illa Vidua mittēs in gazophylacium æra minuta duo. De quâ salvator perhibet testimonium, quia Vidua hęc pauper, plus quàm omnes misit, nam omnes hi (id est divites) ex abundantiâ suâ miserunt in munera Dei, hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victum suum, quem habuit, misit.

155. Anima mea, potiùs veritatis aculeo alios punge, quàm oleo adulationis unge: volo dicere: potiùs delinquentes cum offensione aliquâ corrige, quàm laudando eorum delicta, pacem & ami-

amicitiam fovere. Abominabile enim est officium Adulatoris (ait Petrus Damianus) qui oculis gliscit, gestibus innuit, pendet ad nutũ, ut sic herile præceptum, tanquã per Sybillinum os Phœbi præstoletur oraculum; ire jubetur, evolat. si Dominus fervet, iste sudat; ille æstum, hic cauma conqueritur; si ille dormire vult, hic accidiatur; si sator est, hic ructare compellitur. Neque ineleganter de Adulatoribus S. Basilius. Talibus hos prædictos esse moribus constat, qui ad usus necessitudines, quàm

singulas

singulas occurrentes sese accommodant, sobrietatem cum sobriis, laudant; intemperantes sunt cum intemperantibus, atque ad id, quod cuique placet, suam omninò sententiam vertunt.

156. Anima mea, sine Personarum acceptione aut delectu in concione Evangelica dicta sunt eructanda, exemplo Christi Domini rigorosissimè hunc in modum concionantis. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonũ excidetur, & in ignem mittetur. Omnis arbor (explicat Origenes) id est omnis homo,

homo, sive Rex, sive subregulus, sive Principes, sive senior, nulli parcitur, nulli honor defertur; sed omnis arbor, sive dives, sive pauper, sive servus, sive liber, sive juvenis sive senior non ferens fructū abscindetur.

157. Anima mea, omnes labores, omnes angustias, omnes adversitates, omnes afflictiones, omnes molestias vitæ ac mortis verus Christi amor facilitat, & vincit. Cujus efficaciam Cyprianus Monachus describēs inquit: Amor ille idem, & ignes, & flammas, & carbones accen-

sas

ſas excedit: quòd ignis poſſit ſaltem vel aquâ reſtingui, elemento ſibi adverſante, & repugnante: ſed amor & dilectio, quamvis ignis appellentur & ſint, omnibus aquis ſunt validiores; nulla enim aquarum inundatio poteſt extinguere ignem amoris. Sunt autem aquæ iſtæ perſecutiones, ærumnæ, & mortis anguſtiæ.

158. Anima mea, qui ritè vult probare diſpoſitionem cordis, tangit pulſum in ſiniſtrâ. Inde eſt, quia Medici in ſiniſtro brachio pulſum tentant, & de ejus diſpoſitione

in

in sinistrâ certiꝰ, quàm in dexterâ se informant. Sic Christus corporum ac animorum verus Medicus probans dispositionem dilectionis, tangit pulsum in sinistrâ, non in dexterâ, id est (interpretatur Bercorius) tangit & probat hominem in adversitate, quia pro certo certior est probatio, & in sinistrâ certiùs, quis sit cordis amor, & affectio. Verus enim amor secundùm Chrysologum nō nisi passionibus probatur.

159. Anima mea, si tam magnum putatur magnum esse in terrâ, ubi nihil est magnum,

gnum, quid erit magnum esse in cœlo, ubi nihil non est maximum? sed petes, quænam virtus te ad celsitudinẽ gloriæ cœlestis evehere mereretur? Charitas respondet D. Bonaventura hunc in modum. Quantitas uniuscunque animę ęstimetur de mensurâ charitatis, quam habet: ut verbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna sit, quæ parum, parva; quæ vero nihil, nihil; Dicente Apostolo: si charitatem non habeam, nihil sum.

160. Anima mea, Deus sacerdotes Hebraicos veste hya-

hyacinthinâ indui mandave-
rat, ut ostēderet, qualis vita,
qualis puritas, qualis pruden-
tia, qualis vigilantia, qualis
denique conversatio sacer-
doti suo conveniret. Inde
Beatus Thomas à Villanovâ.
Bene sacerdotis vestis hya-
cinthina est, quia tota vita
sacerdotis debet esse cœle-
stis, & nullum cum terrenis
affectibus debet habere com-
mercium. Cœlicum nitorem
Dei sacerdos induit; ut ve-
stis suę magisterio discat, quia
jam non in terrâ, sed in cœlo
debet habere conversationē,
& per medium cœli volare
(sic

(sic asserente Bercorio) per cœlestium contemplationẽ, & affectionem, per mentalẽ in cœlo habitationem, per temporalium contemptum ac æternorum concupiscentiam.

161. Anima mea, ut pro dignitate Prælatos Ecclesiæ sacerdotes revereri discas, Beatum Thomam à Villanovâ ita disserentem ausculta. Volens Deus populis insinuare, quo honore Prælatos suos prosequerentur, Deos nuncupat illos, dicens: Deus stetit in synagogâ, in medio autem Deos dijudicat. Quibus tantùm




tantùm dignitatis, & potestatis fastigium à Deo tributum est, ut sicut Dii gentium populos dijudicent, ipsi verò à nemine judicentur.

168. Anima mea, tanta est sacerdotii sublimitas, ut regiis coronis præferatur, ut Angelicæ dignitati assimiliter, ut vivum, verum simulachrum Filii Dei sacerdos in terrâ credatur. Nec mirum, quia sacerdotium (ait S. Ignatius Martyr) est omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apex. Hinc illud Genesis (Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus,


jus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti &c.) explicans Papa Innocētius Tertius sic discurrit. Fecit Deus luminaria in firmamento cœli, luminare majus, ut pręesset diei, luminare minus, ut præesset nocti, utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur, hoc est Universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pōtificalis Auctoritas, & Regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus, id est spiritualibus major est: quæ verò carnali-



nalibus minor, ut quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognosceretur.

163. Anima mea, sicut sacerdotis dignitas õnes reliquas excellit, ita ej⁹ iniquitas cunctorũ iniquitate gravior est, difficilioréque cæteris apud Deũ veniã cõsequitur. Quamobrem in libro Numerorum præceperat Deus Moysi, ut nuntiaret Sacerdoti Aaron fratri suo mortem sine ullâ ampliùs vitę prolongatione, assignaveratque causam dicens; eò quòd incredulus fuit ori meo ad aquas contra-



traditionis. Hinc Oleaster ait: mirum valdè est, non posse sacerdotem Deum, quẽ omnibus aliis placabat, sibi propitium reddere. Quæ tu sacerdos quæso expende; ut scias, quantò difficiliùs sacerdotibus, quàm aliis Dominus peccata perdonet.

164. Anima mea, sanctæ crucis signum tamquam contra tenebrarum hostes armaturam singulis horis atque momentis, in omni loco circumferre non desinas, nihilque sine ipsâ incipias & finias: hâc te loricâ circumcinge, membraque hoc salutari

ſigno exorna, & non accedēt ad te mala. Crux Chriſti autem non tam fronte for-mata, veſte, aut pallio geſta-ta, quàm animo portata, ſca-la illa eſt, quâ compendiosè diſtantiam cœli à terra bre-viſſimâ temporis intercapedi-ne attingere vales. Hanc cœ-li à terrâ diſtantiam ita Majo-lus explicat. Si à Condito Orbe per Scalam à nonâ ſpærâ fingamus aliquem re-ctâ lineâ cœpiſſe deſcendere verſus terram: ſi viginti tan-tùm milliaria quotidiè con-fecerit; hodie nondum per-venire potuit, etiam poſt mul-

multa annorum millia.

165. Anima mea, tibi & unicuique in Adamo dixit Deus: in sudore vultus tui vescêris pane tuo. sed insurgis dicendo plurimos panem manducare in quiete, sine labore, sineque sudore? verùm est, si panis materialis, non verò spiritualis intelligatur. Ecce Philippus Abbas Verba hæc: In sudore vultus tui vescêris pane tuo, eruditè sic interpretatur. Labor iste jejunium est, vigiliæ, lectio, oratio, meditatio, compũctio, ploratio, in quibus laborare nos convenit in

hâc regione vivorum, si refici pane volumus Angelorum.

166. Anima mea, absque celeberrimarum Academiarum ingressu, absque famosissimorum Doctorum eruditione, absque decantatâ Laurentii Bibliothecâ, multa exiguo temporis lapsu perdisces, si Christum crucifixũ nacta fueris Magistrum. Experto crede Apostolo gentium Doctori hoc ipsum Corinthiis fatenti scribendo: Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi ipsum Christum, & hunc crucifixũ. Experto crede sancto Bonaventuræ;

venturæ; qui loco librorum Angelico Doctori imaginem crucifixi (veluti suæ eruditionis Magistrum) monstravit, in quo secundùm Apostolum sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei absconditi.

167. Anima mea, si cum Magdalenâ aliquando risisti, cum eâdem & nunc plange, faciemque conscientiæ scelerum pulvere deturpatam aquâ lacrymarum ablue. Hoc tibi consilii Divus Ephræm communicat. Si faciem tuã (inquit prænominatus) lavare desideras, lacrymis eam abluito; & suspiriis, ac fleti-

bus eam lavato; ut in conspectu Dei, & sanctorum Angelorum ejus cum gloriâ, & charitate resplendeat: nam facies, quæ lacrymis abluitur, immarcessibilem coronam acquiret. Si cum Magdalenâ peccasti, cum eâdem & peccatorum veniam à Christo flagita. De quâ ita loquitur Jansenius: Primum quidem in Magdalenâ hoc admirandum est, quòd, cùm reliqui omnes à Christo sanitatem corporalem requirerēt; hæc sola in omnibus Evangeliis mentis sanitatem & peccatorum remissionem requisivit.

ſivit. Si cum Magdalenâ Chriſtum odiſti, cum eâdē & eundem ama. Amor tanto ardore animā ejus perſtringebat (inquit S. Bernardinus) ut non jam acceſſoriis gradib⁹, vel paſſibus uteretur, ſed inopinatis raptibus ſepties in die Angelorū auxilio, volans, non vadens, in illa ſublimia ſecreta cœleſtia ad amorem inacceſſibilem rapiebatur.

168. Anima mea, omnis tribulatio eſt ſemita cœli, omnis tribulatio eſt materia gaudii, omnis tribulatio eſt aſſiſtentia præſentiæ Dei peculiaris, æquo tamen animo

tolerata. Hinc omnes D. Bernardus confortat, Omne gaudium existimem', cùm in varias tribulationes inciderimus, non modò, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; sed quoniam juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde. Hâc suâ præsentiâ Christus Joannem in carcere confortabat, Petrum in cruce, Laurentium in craticulâ, aliosque innumeros Martyres in dirissimis suppliciis tribulatos non sine consolatione reficiebat.

169. Anima mea, in Religio-

gione existens non debes lauta fercula, cibos exquisitos, & bene condîtos appetere, sed obvios quosque condimento amoris divini condire, ac cum sancto Bernardo corporis mortificatione animum recreare. Is enim ait; delectationes non perdidimus, sed mutamus de corpore ad animum, à sensibus ad conscientiam. Panis furfureus, & simplex aqua, & olera, & legumina simplicia, nequaquam res delectabilis sunt; sed in amore Christi, & desiderio internæ delectationis, ventri bene morigerato,

valde delectabile est. Facillimum quippe, & delectabile, adjuncto amore Dei condimento secundùm naturam vivere. Religio esset hic supprimere, quæ in hanc rem habet Sanctus Augustinus: Vilibus cibis vestitur pauper, ego inquit, pretiosis: interrogo vos, quando fueritis ambo satiati, pretiosus ad te cibus intrat; quid fit, cùm intraverit? nonne si specularia in ventre haberemus, de omnibus cibis pretiosis erubesceremus, quibus saturatur pauper? de vilibus cibis: saturatur dives de pretiosis cibis. Satu-

Saturitas ęqualis est, possessio una est quo ambo volũt pervenire. Sed ille per cõpendiũ, ille multum circuit. Sed meliùs inquis, mihi sapiunt apparata pretiosa, vix fastidiosus saturaris: nescis quomodo sapit, quod fames accendit.

170. Anima mea, in Ecclesiâ militante Christus non reliquit efficacius medium ad tollenda peccata post pœnitentiæ Sacramentum missæ sacrificio. Omne crimen (dicit Papa Julius Primus) atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deletur. Nec existimes à Deo misericorditer

absque

absque satisfactione peccatū tibi perdonatum iri. Non decet Deum (sanctus Anselmus perhibet) peccatum dimittere impunitum: quia dedecus culpæ remaneret sine decore justitiæ, & dimitteretur peccatum solâ Dei misericordiâ sine omni justitiâ, quod & inconveniens & impossibile. si enim peccatū impunitum dimittititur, similiter se habet Deus peccāti, & non peccanti. Hinc ille timor Sancto Gregorio. Verebar omnia opera mea: delinquenti Dominus nequaquam parcit; quia dedictum

sine

sine ultione non deserit: aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit: aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.

171. Anima mea, si non vis judicari moriendo à Christo, teipsā judica vivendo secundùm illud Apostoli: si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Teipsam autem ut judices, & sanctus Augustinus hortatur dicens: Majorem quisque in se severitatem debet adimplere, ut à seipso judicatus, non judicetur à Deo. Sed inquis, quomodo meipsam judicabo

dicabo, si secundùm regulam juris nemo in propriâ causâ judex existat? judicabis teipsam salvâ juris regulâ, si dignos pœnitentiæ fructus feceris. Fructus dignos pœnitentiæ facere (ait Christianus Druthmarus) est præterita mala fletibus punire, & bona è contrario agere, & malè commissa eleemosynis redimere. Præterea si vis in morte Deum experiri agnellum, Patrem, & Advocatũ, in vitâ eumdem verere Leonem, Judicem, ac Fiscalem.

172. Anima mea, officio Concionatoris fungens, exemplo

emplo Divi Pauli Auditores quandoque arguere, increpare, obsecrare in omni patientiâ & doctrinâ te decet, & nequaquam illis blandiri, eorumq; scelera dissimulare, sed potiùs cum sancto Augustino ad eos ita sonantia verba facere. Si tacuero nefandissima vestra peccata, mors mihi est, si dixero aut prædicavero, non effugiam linguas vestras, audacter ego prædicabo, quia vos publicè operari malum non erubescitis, emendate ergo vitam, & ego emendabo verba: quiescite agere perversè, & ego qui-

quieſcam mala veſtra impro-
perare.

173. Anima mea, cœlum Patria tua eſt, terra exilium, ex hoc egredi, ad illud ingredi properare deberes, ut quãtocyus Patriotas tuos hoc eſt Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Angelos, Deum denique ipſum Patrem tuum amplecti liceret, & perfrui gaudiis, quæ oculus nec vidit, nec auris audivit, nec cor hominis (teſte Apoſtolo) libavit, nec ulla humana aut Angelica lingva exprimere menſque comprehendere potuit, veluti

luti sanctus Gregorius hisce testatur. Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ civitatis quanta sint gaudia. Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari.

174. Anima mea, mors est certissima, incertissimum mortis tempus, locus ac modus. Singulis igitur momentis mortem expecta, omniaque chara, quæ possides, relin-

linquere absque mœrore animi parata esto, Deumque constanter roga, ne te, cùm defecerit virtus tua, derelinquat virtute suâ, sed benignè ac fortiter contra Diaboli insidias & tentationes defendat. Nam dæmon tantò graviores (dicit sanctus Gregorius) tentationes ingerit, quantò peccatorem magis appropinquare fini conspicit. & sanctus Leo Papa perhibet: novit hostis antiquus, quem mœrore concutiat, quem fallat gaudio, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit con-

consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi quærit causas nocendi, ubi quęcumque viderit studiosiùs occupari.

175. Anima mea, optimus & facillimus modus amicitię divinæ acquirendæ, est clementia ac mansuetudo erga Inimicos; per cujus exercitium etiam ipsius Dei naturæ, ac virtuti quàm propriùs simillima accedis. Quid verò David (inquit sanctꝰ Dionysius Areopagita) Dei Patrem, fecit divinâ amicitiâ dignum? nempe cum esset bonus, atque etiam in hostes

beni-

benignus: Invéni, inquit ille summè bonus, ac benignitatis Amator, hominem secundùm cor meum. Hanc mansuetudinem imitandam per vindictæ descriptionem Lactantius Firmianus tibi proponit, ita differens; Ira non modo boni, sed hominis appellatione dispoliat, siquidem nocere alteri, non est secundùm hominis naturam; nam & pecudes si lacessitas, aut calce, aut cornu repugnant.

176. Anima mea, non ita genio indulgeres, non ita comessationibus & potationibus,

nibus, non ita prolixioribus & lautioribus conviviis, si damna ex iis promanantia penitius considerares. Job pro filiis nonnisi quando cōvivabantur holocausta offerebat. Cujus facti rationem sanctus Gregorius allegat hisce verbis: Vir quippe sanctus noverat, quia celebrari convivia sine culpâ vix possunt, noverat quippe magnâ purgatione diluendæ sunt epulæ vitiorum. Sodoma infinitis iniquitatibus referta ait Philo: Herodi causa juramenti temerarii, & occisionis S. Joannis Baptistæ fuit nata-

natalis, dissolutissimo per totam noctem convivio celebratus. Hinc bene Petrus Chrysologus. Ecce quid pariunt totis noctibus protracta convivia? ecce quid generat, quod cum mensurâ emitur, & sine mensurâ bibitur vinum.!

177. Anima mea, omnium laborum, adversitatum, afflictionum, gravaminum, dolorum, morborum, angustiarum, necessitatumque finem cõsequi desideras? mortem omnium malorum terminum non fugias, non horreas, sed avidè expetas. Etenim

nim mors secundùm Menandrum Pòëtam Comicum est quietis genitrix. Secundùm Salustium. Mors est omnium ærumnarum requies, non cruciatus. Secundùm Ciceronem. Mors est portus malorum, miseriarumque effugium. Secundùm sanctum Ambrosium. Mors non est metuenda fortibus, desideranda sapientibus. Secundùm sanctum Augustinum. Mors est relictio corporis, depositio sarcinæ gravis. Secundùm sanctum Hilarium. Mors non timenda ei, qui semper mori paratus est.

178. Anima mea, quando mund' bacchanalia celebrat, græcatur, ludis, jocis, saltibus, comoediis, sonis, recreationibus, conviviis delectatur: Ecclesia tractat de doloribus, sanguine, cruce, morte Christi, ordinatque in missâ Quinquagesimæ legi illud Evangelium. Ecce ascendimus Hierosolymam &c. & cur? audi sanctum Vincentium respondentem. Sancta Mater Ecclesia Spiritu sancto gubernata, & recta, sciens excessum & gulositatem filiorum suorum, quam faciunt his tribus diebus in comedēdo,

do, & bibendo, cogitavit ponere coram filiis suis Christi passionem ut fideles restringerentur à gulositate; considerantes quantum constitit peccatum gulæ primorum parentum, non gallinarum, aut perdicum, sed unîus pomi fructus; quod filius Dei debuit suspendi in patibulo crucis.

179. Anima mea, si es impatiens in servitio Dei, si pigra in exercitio virtutum, respice ad Christum Crucifixum & non grave tibi videbitur, quod operaris aut pateris: si molestum tibi videtur jeju-

nare, recogita Christum, qui pro tuis peccatis quadraginta diebus ac noctibus jejunavit: Si superbiæ, auaritiæ, injuriis, persecutioni, despicatui, labori es obnoxia: recordare humilitatem Christi, liberalitatem, injurias, persecutiones, contemptum, infamiam, sudorem sanguineum, laboriosam crucis gestationem: si privata es omni bono vel naturæ vel fortunæ: contemplare Christum nudum in cruce pendentem, & dices: nuda nudum sequar; & non erit tribulatio, quam non lubens amore Christi pati-

patienter tolerabis. Quia bonus miles (ait sanctus Bernardus) vulnera propria non curat, dum Regis sui vulnera intuetur. & Apostolus: Recogitate eum, inquit, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionē, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Volve & revolve vitam boni JESU (inquit Bern:) & non invenies eum nisi in cruce, ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœnâ fuit, in amaritudine, & angustiâ.

180. Anima mea, sceleris alicujus rea conspectum Ju-

dicis puri hominis tantopere timer, habentis solummodo potestatem te privandi vitâ temporali. Quantopere non exhorrescas videre in novissimo die tremendum Judicis Christi Dei & hominis irati vultum, habentis potestatē te etiam æternâ vitâ privandi, & in barathrum inferni ob peccata conjiciendi. Nam tantus terror & Majestas inest vultui Judicis hujus irati, ut si quis est (ait sanctus Chrysostomus) qui sensu & mente præditus sit, is certè gehennæ pœnam tolerare mallet, quā adverso Deo stare. & sanctus Vin-

Vincentius Ferrerius inquit: Melius esset anima in judicio videre centum millia dæmonum, quàm faciem Christi irati. S. Aug: majus tormentũ malis erit furorem vultûs divini tolerare, quàm cruciatus infernales perpeti.

181. Anima mea, audivisti, quàm terribilis & metuendus sit vultus Christi irati, audi nũc & auribus percipe, quàm terribilis & metuenda vox ejusdem, quâ sententiam in reprobos detonabit hisce fulminantibus verbis: Ite maledicti in ignem æternum. Si enim comprehensores Judæi

dæi ad Christi crucifigendi responsum, ego sum, abierũt retrorsum, & ceciderũt in terrã, quia vocẽ præsentis Dei ferre non potuerunt: Quò mihi (ait S. Ambrosiꝰ) legiones Angelorũ? quo mihi cœlestẽ exercitũ? vox Domini sola plus terret. Huc accedit Angelicꝰ Doctor dicens: Una vox turbã odiis ferocem, armis terribilem, sine ullo telo percussit, repulit, ac stravit virtute latentis Divinitatis. Quid faciet judicaturus, qui hoc fecit judicandus? quid regnaturus poterit, qui moribundus hoc potuit.

382.

182. Anima mea, in omni anxietate, adversitate, necessitate corporali & spirituali, Nomen Salvatoris tui invoca: hoc nomine dæmones subjice: hoc nomine salutem pete: hoc nomine pericula corporis & animi evita: hoc nomine tentationes supera: hoc nomine mortis angustias pelle: hoc nomine contra visibiles & invisibiles hostes utere, eosque vince: hoc nomine venena effuge: hoc nomine morbis medicinam procura: hoc nomine tibi (ait S. Bernardus) electuarium habe reconditum in va-

sculo vocabuli huj⁹, quod est JESUS salutiferum certe, quodque nulli umquam pesti tuæ invenitur inefficax.

185. Anima mea, in quocumque terrarum loco, conditione, statuque extiteris, absque persecutione, absq; odii telis, absque proditionis machinis non moraberis. Et ubi, obsecro hodie non regnat proditio (sic fatur S. Chrysostomus) nonne omnes adversus invicem surrexerũt? omnes fermè proditores facti sunt, & se invicem oderũt, gens in gentem, regnum adversus regnum? Principes cõ-

tra

tra ſui ſimiles, Epiſcopi contra Epiſcopos, & Presbyteri contra Presbyteros, & Laici adverſus Laicos? Hinc Paulus Apoſt: periculum in mari. &c.

184. Anima mea, Deus in antiquo teſtamento Moyſi præceperat, ut leproſus ſanatus etiam inops tale ſacrificium offerret, quale ſequentibꝰ verbis in Levitico expreſſit. Quod ſi pauper eſt, & non poteſt manus ejus invenire quæ dicta ſunt, pro delicto aſſumet agnum ad oblationē; & quare? Quia ſunt multi (inquit Oleaſter) qui ſolùm

erga Deum paupertatem o-
stendunt, qui pecunias suffi-
cientes habent ad cibum &
potum; & quod deterius est,
ad ludum, ad fornicationē,
& ad vitia: nihilque ad Pau-
peres & ad pia opera se habe-
re dicunt. Hic verò Domi-
nus præcipit, ut quantum-
cumque sit pauper, offerat ta-
men agnum Domino: quo-
niam qui ad nutrienda vitia
dives est, pauper esse non de-
bet ad sustentandum Dei Mi-
nistrum.

185. Anima mea, licet cœ-
lum sit communis patria om-
nium tam Regum, quàm Va-
sallo-

fallorum, tam divitum, quā pauperum: tamen Hieremias Propheta asserit, quòd solùm ingredientur per portas Civitatis hujus Reges & Principes. Quomodo autem hæc concordant? Bene: quoniam omnes Cœlicolæ cujuscumque statûs ac conditionis fuerint, à Monarchâ cœlesti Principes ac Reges efficientur. Accipient (dicit sapientia) regnum decôris, & diadema speciei de manu Domini. Hinc sanctus Bonaventura exclamat. Quàm nobilis societas, quàm gloriosa civitas illa esset, in qua nul-

nullus omnino, nisi Princi-pes, & Reges habitarent? Re-ges utique sunt, qui de manu summi Imperatoris coro-nam regni accipiunt, regnum decôris.

186. Anima mea, veluti pisces extra mare emoriun-tur, & intra mare conservan-tur, sic sancti extra tribulatio-num mare periculo se expo-nunt moriendi Deo, & intra mare tribulationum non si-ne gaudio in gratiâ divinâ reviviscunt. Hinc illa S. Ja-cobi exclamatio. Omne gau-dium existimate fratres, cùm in varias tentationes incide-ritis.

ritis. Hinc Davidi fuerunt lacrymæ panes die ac nocte: id est miseriæ (inquit S. Bruno) quæ causa sunt lacrymarum; panes, id est assiduæ, ad modum panis, qui cibus assiduus est, & quotidianus. His Davidis panibus, miseriarũ scilicet, sancti in vitâ spirituali, & gratiâ Dei confortantur.

187. Anima mea, si consideratio divini amoris, bonitatis, misericordiæ, Majestatis, neque glorię cœlestis beatitudo te pellicit ad serviendum Deo, ad abstinendum à peccatis: moveat te nihilominus

minus divinæ justitiæ rigor, inferni timor, metus amittẽdæ æternæ salutis, cruciatus gehennæ, damnatorumque pœna. Etenim non minus utile est iis (ait Olcaster) qui ad Deum accedunt, videre dãnatorum supplicia, quàm præclara prœmia Beatorum; quoniam per timorem Domini recedit omnis à malo. Quippe secundùm Hugonem servus est, qui timet flagellũ.

188. Anima mea, non minorem tristitiam Angelis generas per lapsum, quâm lætitiam per conversionem. Si enim gaudium est Angelis in

cœlo

cœlo pro uno peccatore pœnitentiam agente, necesse est (inquit Origenes) ut lugeant pro peccante. & Pantaleon Diaconus. Quando autem ambulat in sanctitate, & justitiâ homo fidelis, lætatur Angelus: quando verò à viâ rectâ declinaverit, tristis quidem est bonus Angelus. Confirmat dicta Antonius Magnus scribens monachis suis hunc in modum: Verè enim filioli, nostra incommoditas, & inutilitas dolorem Angelis omnibus præbet; utuntur lacrymis, & gemitibus pro nobis in conspectu Conditoris.

189. Anima mea tanta est invidiæ malignitas, ut magnã pœnam faceret Deus invido, si ipsum in gloriâ Paradisi inter Angelos & sanctos collocaret. Sed replicas, quomodo est possibile ut cœlestis beatitudo, quæ omnib⁹ Beatis inexplicabilem & immẽsã parit delectationẽ, invido pararet indicibilem afflictionem? Satis facit quæstioni tuæ sanctus Antonius de Paduâ, dicens: quia ibi totaliter excæcaretur à gloriâ Proximorũ, & à luce beatitudinis ipsorũ. Nã invid⁹ tristatur ex bono alteri⁹, lętatur ex malo.

Huic

Huic propterea convenit stare & vivere in loco afflictionis hoc est inferno, inter miserabiles & afflictos damnatos.

190. Anima mea, sanctus Matthæus Evangelista tractãs de principio prædicationis Salvatoris, inquit: Exinde cœpit JESUS prędicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Quæ verba Auctor imperfecti operis sic declarat. Ex tunc cæpit JESUS prædicare, ex quo tentatus est, famem vicit in deserto, avaritiam sprevit in monte, vanam gloriam super templum,

plum, ut nobis ostendat, qui ventri suo contradicere potest, qui sæculi hujus bona cõtemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet Christi Vicarius factus, justitiam Christi prædicare. Pulcrum sanè documentũ, Concionatoribusque congruum.

191. Anima mea, Deum planè si cognosceres, amori illius universa postponeres, parvipenderes visibilia, laudabiliterque odires; quãobrem ex igo orantiâ summi boni terrena te delectant, mundi magnitudo tibi arridet, quia amplitudinem regni

gni cœlestis numquam perpendis. Tanta siquidem est magnitudo Empyrei cœli (attestatur S. Bernardinus) quod si de novo crearet Deus ejusmodi magnitudinis tot terrarum orbes, quod sunt arenæ maris, vix implerent illud.

192. Anima mea, nulla res magis ditat, quàm eleemosynæ largitio. Quia non qui habet, ut servet (inquit Clemens Alexandrinus) sed qui impertit est dives, & impertitio & communicatio, non autem possessio beatum reddit. Eleemosyna secundùm Chrysostomum est ars omnium

um artium quæstuosissima; quia parum dat (respondet Cæsarius) & accipit multum, porrigit nummum, & comparat regnum. Idem confirmat Hugo Cardinalis. Qui enim propter Christum omnia dat pauperibus nihil dat, sed carissimè vendit. Eleemosyna magis prodest dãti, quàm accipienti; quia Deus eleemosynam non ob hoc solum instituit (asserente S. Joanne Chrysostomo) ut pascantur indigi, sed etiam ut dantibus accrescant beneficia; atque adeo magis propter dantes, quàm Accipientes.

193. Anima mea, magna est hominis peccatoris erga Deum diffidentia: cùm enim Deus facilè fidat homini (inquit Oleaster) & illi omnia sua credat; homo tamen præsertim iniquus, cum maximâ difficultate Deo fidit. Cogitavi non semel penes me; unde hominis diffidentia ad Deum suum: & cognovi ex eo esse, quòd quales nos sumus erga Deum, talem eum arbitramur erga nos. Quia enim nos frequētissimè promissa mentimur, arbitramur Deum nobis non servaturum promissa.

194. Anima mea, paupertas tibi exosa est, & ob eam tantopere verecundaris, quā tamen Christus cum Beatā Virgine, & Apostolis amplexus: cujus Amatoribus cælicas sedes promisit: cui tantā indidit efficaciam, ut te HOMINEM Angelis perquam similem redderet. Audacter dixerim (sic S. Bernardinus) paupertatem aliquid simile habere cum cœlestibus rationalibus creaturis, eo quòd beata prædicatur in terris. De cœlo paupertas devênit ad terras, sicut pro nobis Dominus factus egenus de cœlis

de-

descendit, præferens ipsius virtutis normam. Cœlestem esse monstravit, cùm non habere, neque velle terrena, gerat similitudinem Angelorũ. Qui terrena concupiscere, neque possidere noverunt, Angeli sunt terrestres.

195. Anima mea, tanta est mortis molestia, ut omnium terribilium terribilissimum ab Aristotele dicatur: tanta est mortis afflictio, ut passioni æquiparetur; quia tunc (asserit Gulielmus Durandus) maximè corpus patitur, & etiam Anima, quãdo per violentiam ab invicem separantur:

tur: & obitus uniuscujusque passio nominatur; quia sine amaritudine, & sine violentiâ quâdam nulla anima de corpore tollitur. Tanta est mortis angustia, ut etiam Christo Agonizanti pavorē, tædium, sanguineumque sudorem elicuerit. Appropinquante enim morte (inquit Gregorius Magnus) mortis certamen expressit, qui jā quamdam terroris, atque formidinis patimur, cùm per solutionem carnis æterno Iudici propinquamus.

196. Anima mea, Salvator tuus Christus Phariseis ostendens

dens se habere Auctoritatem peccata perdonandi: Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata (ait Paralitico) tibi dico surge. Sed quare solummodo dicit in terrâ? respondet Theophilactus. Vide quod in terrâ dimittit peccata; dum enim sumus in terrâ peccata nostra delere possumus. Postquam verò à terrâ tollimur, non valebimus confiteri, clauditur enim janua. Huc non incongruè spectat illud Anastasii Nisseni. Cæterum oportet nos curam gerere nostra-

rum animarum, & non sperare esse concessam post mortem oblationem.

197. Anima mea, frequenter tibi cum S. Davide canendum esset, non moriar, sed vivam & narrabo opera Domini. Mors enim corporalis (prodit S. Bruno) quæ per tribulationes accidit, mors dicenda non est, sed vitæ principium. Post hanc enim mortem sancti fœliciter vivere incipiunt. unde etiam dies obitûs Martyrum natale dicitur, tunc enim in æternâ vitâ nascitur. Hinc etiam hedera vel laurus & hujusmodi

(ait

(ait Gulielmus Durandus) quæ semper servant virorem in Sarcophago corpori substernuntur ad significandum, quod qui moriuntur in Christo, vivere non desinent: nam licet mundò moriantur secundùm corp⁹, tamen secundùm animam vivunt, & revivifcunt DEO.

198. Anima mea, omnem tribulationem tuam facilè mitigabis, ubi consideraveris aliorum tuâ majores tribulationes, videlicet obnoxiorũ fami, bello, pesti, igni, aquæ, incarcerationi, captivitati in hoc mundo, & in alio, pœ-

nis purgatorii; quæ tantæ sunt, ut omnes pœnæ (ait S. Bernardinus Senensis) quæ possunt excogitari in hoc mundo, & pœnæ Christi, & omnium aliorum Martyrum, cæterarumque Personarum, & creaturarum nihil sint respectu pœnæ Purgatorii: Et tantum interest inter ignem nostrum naturalem ab igne Purgatorii, quantum interest ignis pictus à verò igne. In confirmationem hujus dicit Doctissimus Tostatus: in Purgatoriis sedibus tanta cruciatuum immanitas est, ut ab inferorum qualitate modicum

dicum aut nihil distet, quantum ad magnitudinem cruciatuum & duritiem.

199. Anima mea, non ignoras sacrificio Missæ, quod est memoriale Dominicæ passionis, nil in hoc mundo dignius, & illius oblatione pro peccatis Vivorum ac mortuorum efficacius existere: & tamen immemor tāti beneficii Missam audire vel celebrare (si alioquin licet) sæpiùs negligis. Opportunè S. Augustinus. Qui devotè interest Missæ, si illâ Die moriatur contritus de peccatis suis, licet actualiter recipere non po-

potuerit Ecclesiastica sacramenta, tamen illa censetur obtinuisse. Sanctus Gregorius Missam nuncupat ablutionem scelerum, fortitudinem fragilium, contra omnia mundi pericula firmamentũ, vivorum atque mortuorum fidelium remissionem omnium peccatorum. Non hîc prætereundus censetur Papa Urbanus Octavus. Si quid in rebus humanis, (inquit ille) quod nobis superni cives, si in eos invidia caderet, invidere possent; id verè est sacrosanctæ Missæ sacrificium: cujus beneficio fit, ut homines

nes quâdam anticipatione, possideant in terris cœlum, dum ante oculos habent, & manibus contrectant ipsum cœli, terræque Conditorem.

200. Anima mea, Deus sæpenumero te impiam cum aliis impiis non punit intuitu sanctorum, qui in terrâ convivunt, & veluti medulla hujus mundi existunt. Sicut enim medulla (inquit Auctor operis imperfecti) quamdiu in arbore fuerit sana, semper floret: cùm autem percomesta fuerit, tota paulatim marcescendo siccatur, Sic &

quamdiu sunt fideles, stat iste mundus, & cum sancti dei isto mundo deficient, casurus est iste mundus. Hinc Philo Hebræus platonizando dicebat. Equidem quando aliquem bonum virum habitãtem in aliquâ domo, aut Urbe video, & domum, & Urbem illam beatam prædico; ratus, tum præsentem ei fœlicitatem mansuram perpetuò, tum absentem expectandam cumulatiorem; DEO ultra modum, mensuram que divitias suas in gratiam dignorum, etiam in indignos profundere solito. Perinde

auditâ morte alicujus eorum magnâ tristitiâ, magnoq́ue dolore afficior, non tam ipsorum vicem dolens, quàm superstitum. Illos enim naturæ ordine necessariò manet hîc exitus, ut post vitam fœliciter exactam gloriosa mors eos excipiat. Istos verò destitutos magnâ, potentiq́ue manu, quà protecti antea fuerant, suorum malorũ sensus imminet: nisi natura tamquam in arbore, de quâ maturi fructus defluunt, alios recentes substituat, quibus alantur, fruanturq́ue quibuscumq́ue datum est.

201. Anima mea, à charitate Christi exemplo Apostoli non te deberet separare tribulatio, non angustia, non fames, non nuditas, non periculum, non gladius; immò neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque creatura alia. Sed prô Dii immortales, quoties te separavit peccatum? cujus tanta enormitas est, ut si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & necessariò uni immergi deberet, potiùs infernum (perhibet Ediverus Anglus de

de sancto Anselmo) quàm peccatum appeteret.

202. Anima mea, magna Deo eris, si despecta tibi in omni opere ac verbo extiteris exemplo Beatæ Virginis: cujus Virginitatem non respexit Deus, non innocentiã, non cæteras virtutes sed humilitatem, ut manifestaret, quantum præmineret reliquis, quantumque ei placeret humilitas. Hanc præseferebat Virgo in salutatione Angelicâ, ejusque responso inquiens: Ecce Ancilla Domini. Meritò igitur facta est (ita sanctus Bernardus) omnium

mnium Domina, quæ ſeſe omnium exhibebat Ancillam. Meritò denique ſuper Angelos exaltata eſt, quæ infra viduas, & pœnitentes, intra etiam eam, de quâ ejecta fuerant ſeptem dæmonia, ineffabili ſeſe manſuetudine inclinabat. Hanc præſeferebat Virgo in ſuo Cantico: Magnificat Anima mea Dominum: Non enim dicit ſponſum (obſervat S. Antonius) non Patrem, non Filium, quamvis quodlibet eorum dicere potuerit verè, ſed tantùm dicit Dominum, ut omni viâ proprias laudes fugeret,

ret. si dixisset, sponsum, multum se laudaret: si dixisset Patrem, vel Filium, æquæ laudis esset: sed dicit Dominum, quod est relativum ad servã, & Ancillam.

203. Anima mea, sicut corvus apud gentiles fuit Apollini dedicatus, sic detractor Diis gentium, scilicet dæmonibus; quia omnes detractores vicarii sunt diaboli, & ideo tamquam ejus vicarii & successores, hæredes ejꝰ sunt, scilicet pœnæ æternæ. Peropportunè Jacobus de Voragine ait (explicans illud Ecclesiastici: Lingva tertia com-

commovit multos.) Tres sunt linguæ, Divina, cujus est loqui ea, quæ ad æternam salutem pertinent; Mundana, cujus est loqui de mundo, & de iis, quæ requirit mundana necessitas; Tertia est lingua diaboli, cujus est detrahere. Hinc diaboli linguam habet (inquit sanctus Joannes Chrysostomus) qui ut diabolus loquitur.

204. Anima mea, non tuum, sed alienum festum celebras, dum comessationi, potationi, otio, jocis ac ludis indulges. Celebritas enim tua & Deo grata, est pœni-

nitentia peccatorum, displicentia delectationum, mortificatio sensuum, maceratio corporis, victoria denique dæmonum. Peritè hic Paulus de Palacio. Unge caput tuum Christiane, cùm jejunas, unge caput, diem festum te agere existima. Festus sanè est, cùm spiritus carnem suam vincit, refert de suo hoste triumphum; festus est, dum arma dæmonis jejunio extenuat; festus est, dum terrenus homo desinit esse, & incipit esse cœlestis.

205. Anima mea, maximopere tribulationes, infirmitates,

tates, egestatem, famem, bellum, pestem, mortem, infernum, purgatorium, horribilem dæmonum aspectum, severissimum Christi Judicis tribunal: & tamen peccatū, horum omnium formidabilium causam, committere, rarò aut numquam formidas. Iterum maximopere desideras delectationes, sanitatem, rerum abundantiam, prosperitatem, pacem, consolationes, cœli consecutionem, & Dei beatificam visionem, & tamen per abnegationem tuimetipsius, per cōtemptum terrenorum, per exer-

exterminationem peccatorũ viam virtutis nõ ingrederis, quæ horum omnium desiderabilium est origo. Bene Lactantius. Omne virtutis officium est non peccare, quo profectò fungi non potest, qui Deum nescit. & alibi Idem. Una est igitur virtus, ac bonorum via: quæ fert non in Elisios campos, ut Pòëtæ loquuntur: sed ad ipsam mundi arcem. At leva malorum exercet pœnas: & ad impia tartara mittit.

206. Anima mea, in omni bono opere majorem DEI gloriam, & tuam proximique

que salutem intende, mundanumque respectum exclude. Bonitas enim operis non tam ex objecto, quàm ex fine trutinatur: si illud propter mundum, mundanum: si propter salutem, salutiferum; si propter Deum, Divinum. Hinc sanctus Ambrosius perhibet: Affectus tuus operi tuo nomen imponit, quo animo aliquid à te perficitur, sic existimatur. Ut autem paucis multa lucreris, cuivis actioni piæ & indifferenti multas intentiones applica, & unâ actione multa mereberis, Quot enim intentiones,

nes, tot merita conſequentur.

207. Anima mea, cum fidis amicis & hominibus lætis lubens convivaris: cur non etiam cum Chriſto, Chriſtiparâ, Angelis ac Beatis? putáſne majorem & veriorem amicitiam lætitiamque in creaturâ, quàm Creatore; in Viatore, quàm comprehenſore reperiri? ſed replicabis. ſimilis ſimili gaudet. Et numquid Chriſtus etiam homo eſt; & deliciæ ejus eſſe cum filiis hominum? iterum replicabis, non habeo, quod apponam Chriſto Hoſpiti congruum.

Appo-

Appone ei cor tuum purum ab omni labe peccati, exornatumque fidei, spei & charitatis peristromatibus: & ipse mediante Eucharistiæ sacramento apponet cor suum, & hoc modo utrimque honorificum convivium parabitur: nec amica & læta societas deerit: nam ubi Christus est, ibi & Mater ejus, & Angeli & Beati: nec etiam pro refectorio in hac lacrymarum valle cœlum deficiet: Ubi enim Christus (ait D. Athanasius) ibi cœlum. Nam & stabulum visum est esse cœlum in terrâ.

108. Anima mea, si tantopere

pere fideli rerum corporali-um conservatori grata exi-stis: cur non etiam sancto An-gelo tuo Custodi? qui te i-psam cum bonis spiritualib⁹ à primo instanti creationis, usq; ad extremum vitæ mo-mentum indesinenter ab in-sultu dæmonum defendit; ab innumeris periculis fideliter eximit: videns cæcam ducit, sapiens stultam, fortis imbe-cillem, gnarus viæ ignaram, inter tot discrimina & præci-pitia in perniciem ruentem servat: abducit à malo: re-trahit ad bonum: cogit eti-am nolentem, adjuvat vo-lentem,

lentem, impellit euntem; denique sic ducit, ut tandem ad beatitudinem perducat, quâ ipse semper jam fruitur, ut quemadmodum hic ejus cliens fuisti, sis illic civis & socia: gaudeasque te creditam commissamq; ejus curæ tam fœlici portui appulisse. Opportunè Augustinus. Magnâ curâ, inquit, & vigilanti studio adsunt nobis Angeli omnibus horis, & locis succurrentes, & sollicitè discurrentes inter nos & Deum, nobisque providentes.

209. Anima mea, si vis in cœlum introire, sequenda tibi

tibi sunt Christi vestigia, qui ad regnum cœleste per ignominiam pervênit; ad æternam Majestatem, per brevem hujus ævi abjectionem. cujus caro est sublimata, quoniam prius dejecta, & irrisa, & cōculcata fuerat: quem passio glorificavit, crux exaltavit, mors vivificavit, beavitq;. Ampliùs tibi accuratè expendendum; quæ diritas tormētorum in Martyribus extiterit? quæ carnificina insontium corporum, quanta sævitia atq; immanitas imperantium, tam atrox ministerium & exequentium? quantus in Mar-

Martyribus ſuimetipſorum neglectus, imò aſpernatio? ut non aliter corpora ſua reſpicerent, quàm lapides, aut ligna, animo & cogitatione universâ in Christum ſemper intenti, tamquam oculus jaculantis in album, ad collimandum. Denique ſedulo conſiderandum, quid aliquā do fiet tibi, quæ vitam in omni mollicie ducis, in deliciis, in voluptatibus deſes ac ſecura: quæ intolerabile cenſes, ſi quid duriuſculum acciderit, aut contra, animi ſententiam: corpus & animum geſtas delicatiſſimum, nihil

eſt

est tam leve, à quo non impatientissimè percellaris. Quâ tandem freta fiduciâ Christi nomen audes ferre? & illum appellare Patrem? & tribunalis illîus expectare censuram? si non coronetur, nisi qui legitimè certârit. Ecquam tandem tu coronam vel petis vel speras? quę numquam certas, quæ certamen non aliter defugis, atq; horres, quàm rem omnium longè miserrimam.

210. Anima mea, honores, dignitates, ampla officia, administrationes, & regimina, si virtutibus polles, non tuæ,

sed alienæ utilitatis gratiâ amplectere aut pete: neque ob illorum adeptionem exulta, neque ob repulsam mœre. Honoratam te satis esse opineris, quòd honore digna sis: satis magnam Reginam, quòd teipsam regas: satis potentem Imperatricem, quòd cupiditatib⁹ tuis & sensualitatibus inordinatis imperare valeas: satis prosperã, quòd munere, seu potiùs onere careas. Quandoquidẽ (ut ait sanctus Gregorius) quantò quisque hîc altiùs erigitur, tantò curis gravioribus oneratur.

211.

211. Anima mea, si ingenio viges, si scientiâ emines, si rerum diversarum peritiâ clares: virtute charitatis te fulcias, ne tumore superbiæ turgeas, menteque elatâ ruas. Scientia si sola sit (ait sanctus Augustinus) inflat: quia verò charitas ædificat, non permittit scientiam inflare. Ibi ergo inflat scientia, ubi charitas nō ædificat, ubi autem ædificat, solidata est. Non est ibi inflatio, ubi Petra est fundamentum. Quando autem tentat inflatio hoc est, elatio? utique ubi & quando charitas deest.

212. Anima mea, si Christus in terris existens à te flagitâsset eleemosynam, utique ei largita fuisses: & cur denegas eamdem pauperib⁹ Christum repræsentantibus cum assertione suâ? quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Huc accedit illud Gregorii: Quod pauperi in terrâ dederis, Christo in cœlo regnanti largiris. Sanctus verò Augustinus te hortatur ad non differendam Eleemosynæ largitionem, dum ait: Da panem, dum poteris, quia nemo esurit in inferno, non habebis post mortē frumentum

tum illis, nec aliquem mendicum, quia non erit tempus miserendi. Iterum Gregorius. Da pauperi, ut det tibi, da terrã, accipe cœlum, partem, accipe totum, si nõ pauperem habes redditorẽ, Deum tamen habes Fidejussorem.

213. Anima mea, tale & tantum est bonum pacis, ut in rebus creatis nihil gratiosiùs soleat audiri, delectabiliùs concupisci nihilque utiliùs possideri. Adverte autem, quod triplex est pax scilicet malorum, justorum & Beatorum. Prima detestabi-

lis, de quâ Propheta. Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Et consistit in abundantiâ divitiarum, delitiarum & honorum sine molestiâ quarumcumq; tribulationum aut impedimentorum. Secunda commendabilis, quæ habetur cum seipso, Proximo & Deo: & quādo nimirum nullus est error in intellectu, nullus amor noxius in affectu, nulla mala operatio in effectu. Unde Apostolus. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra. Tertia multum desiderabilis, & est

illa, quâ Electi Dei fruuntur Deo in cœlo, quietati & pacificati in appetitu suo, nihil ultra desiderare volentes.

214. Anima mea, mirum est, quod mundum diligas, cujus figuram ex doctrinâ sancti Pauli scis præterire: & cujus fallaciam à Sancto Augustino scis hunc in modum esse descriptam: O munde proditor, cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers, multa promittis, parum aut nihil præstas: promittis longã vitã, sed donas mortẽ: promittis gaudium, sed largiris mœrorẽ: promittis quietem,

tem, adfers laborem: promittis ſtare, ſed citò recedis.

215. Anima mea, indeſinẽter facultates tuas, opes, dominia amplificas, & fidem Catholicam augmentare pro virili non conaris: quâ nullæ majores divitiæ (uti perhibet ſanctus Auguſtinus) nulli theſauri: nulli honores nulla hujus mundi major eſt ſubſtantia: quæ peccatores homines ſalvat: cœcos illuminat: infirmos curat; cathechumenos baptizat: fideles juſtificat: pœnitentes reparat: juſtos augmentat: Martyres coronat: Virgines &

& Viduas & Conjugales casto pudore conservat: Clericos ordinat: sacerdotes consecrat: & in hæreditate æternâ cum sanctis Angelis collocat.

216. Anima mea, convivari subinde conceditur, sed ad convivia Amicos & divites tantùm, ac semper invitare, spe recompensationis, à Salvatore prohibetur: Ait enim: Cùm facis prandium aut cœnam noli vocare Amicos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne fortè te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio; sed cum facis convivium

voca pauperes, debiles, & cœcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. Hæc tamen doctrina salvatoris non excludit sequens dictum Augustini: Rogandi sunt Parentes & vicini, sed rariùs, ut remaneat, unde pauperes possint refici.

217. Anima mea, scis elogio Christi templa esse domũ orationis, & secundùm sanctum Augustinum, neminem in Oratorio aliud agere debere, nisi ad quod factum est: Quare templa etiam summâ in-

in veneratione tibi sunt habenda: tum propter continuam præsentiam divinę Majestatis secundùm illud Davidis: Dominus in templo sancto suo: tum propter præsentiam Venerabilis sacramenti & Angelorum secundùm assertionem sancti Joannis Chrysostomi: Ubicumque est Eucharistia, ibi Angelorum multa sunt millia, quia Rex Regum, & dominus dominantium, utique non est sine servis.

218. Anima mea, sobrietas tantæ est excellentiæ, ut Origenes haud dubitaverit illam nun-

nuncupare Matrem cæterarum virtutum. Ejus excellentia ex productione fructuum elucet, quos disertè S. Augustinus hîc enumerat. Sobrietas est mentis & sensûs, membrorumque omnium, corporisque tutela: castitatis pudicitiæque munimentum; Pudori proxima: Amicitiæ pacisq; servaL: honestatique semper conjuncta: criminum atque vitiorũ omnium profuga: Sobrietas (idem prosequitur) temeritatem fugat: pericula cuncta declinat: mutuis officiis obtemperat: superbiam detestatur: domum, fami-

familiamque cum moderatione gubernat: fidem sibi committentibus servat.

219. Anima mea, consilio Senecæ sic cum inferiori vivas, quemadmodum superiorem tecum vivere velis; & exemplo Centurionis non tantùm servos sanos, verùm etiam infirmos curare studeas. Eleganter Origenes in Personâ Centurionis loquitur: Mihi hic servus est & ego Creatori: iste me super terram, & ego magnum in cœlis habeo Dominum: si ergo ejus non misereor, quomodo mei ille miserebitur? si ego

huic

huic non subvenio, quomodo mihi ille subveniet? sic debent omnes, qui famulos & famulas habent, cogitare, sic misereri, & condolere eis, supplicare & curam habere de servis vel ancillis suis, sicut ille beatus Centurio fecit.

220. Anima mea, sunt foris diversi, & sibi invicem summè contrarii hospites, in cordis tui domicilio divertere & commorari cupientes: sed qui sunt? Christus, mundus, caro, diabolus. Hi omnes te inhabitare gestiunt, sed diverso fine: Christus ad te salvandum: cæteri ad te perden-

dendum: Hic te vult vitæ libro inſcribere; illi mortis. Hic te vult in cœlo æternùm gaudere, inenarrabilibuſque deliciis affluere: illi te volũt perenniter in inferno triſtari, indicibilibuſque gehennæ flammis torqueri. Opportunè ſanctus Bernardus opitulatur, dum inquit: Mundus clamat, ego deficiam: caro clamat, ego inficiam: diabolus clamat ego decipiam: Chriſtus verò ego reficiam: & tamen ſuperba mens magis vult ſequi deficientem, inficientem, & decipientem, quâm reficientem, ſalvantẽ, &

& vivificantem in vitam æternam.

221. Anima mea, si attentiùs perpēderes redemptionis tui pretium, non tam facilis esses ad peccandum: non tam difficilis ad pœnitendū. Etenim Adam cum Evâ uniûs pomi prohibiti esu in paradiso te diabolo vendidit: Christus te in cruce pretiosissimo suo sanguine, acerbissimâ suâ passione & morte redemit. O quàm levi pretio à diabolo es empta! O quàm carò à Christo redempta! O quàm facilè es perdita! O quàm difficilè recuperata!

Non

Non igitur ampliùs peccato serva diaboli fias, sed Christo per charitatem adhæreas, qui te creavit, & creatam hactenus ab innumeris malis præservavit, nutrivit, vestivit, vivificavit: qui te præclaris corporis & animi dotibus exornavit: qui te servituti diabolicæ obnoxiam in libertatem revocavit: qui seipsum tibi in viâ pro cibo & potû sub consecratis panis & vini speciebus reliquit: qui demum in Patriâ tuâ perennis salus, interminabilis fœlicitas, tuaque æterna beatitudo esse cupit.

222. Anima mea, peccatorum tuorum fœditatem tegumento charitatis vela, ne divinæ justitiæ rigori punienda subjiciantur, sed potiùs misericorditer perdonentur. Exemplo tibi sit sancta Maria Magdalena, cui à Christo Domino remissa sunt peccata multa, quia dilexit multū. Inde etiam sanctus Ephræm fatur: Multa negligendo peccavimus singulis diebus, horis, atque momentis; atque ideo charitatem possidere studeamus. Hæc enim operit multitudinem peccatorum.

223. Anima mea, si thesaurum aliquem perdidisses, an non vehementer doleres? an non anxiè perditum quæreres? an non inventum diligentiùs custodires? utique. Cur igitur Christum thesaurũ tuum cœlestem per peccatũ amissum non doles, non quęris, nec inventum diligentiùs custodis? sed quibus modis inveniendus? Hisce. Primò per veram contritionem secundùm illud Deuteronomii: Cùm quęsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris. Secundò per humilem confessio-

fessionem juxta illud proverbiorum: Quì abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Tertiò per satisfactionem, per dignos fructus pœnitentiæ: orationem, jejunium & eleemosynam: de quibus Tobias dicit. Bona est oratio cum jejunio & eleemosynâ magis, quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam.

224.

224. Anima mea, si vis uno eodemque tempore sine replicatione esse in duobus locis: videlicet in corpore & extra corpus: in cœlo & in terrâ: Orationi, quæ est ascensio mentis in Deum, piè & attentè insiste, magis ibi futura ubi amas, quàm ubi animas. Homo enim (inquit sanctus Joannes Chrysostomus) qui cum Deo loqui didicit, ut par est, cum adit. Qui cum Deo loquitur, erit deinceps Angelus. Ita liberatur anima à vinculis corporis, ita ei ratio in altum tollitur, ita è terris migrans in cœlis habitat,

habitat, ita apud ipsum thronum sistitur.

225. Anima mea, si tibi hodie veniret nuncium desuper (ut olim per Isaiam Ezechiæ) ut disponeres domui tuæ, quia morieris tu, & non vives: quid boni te fecisse, & mali omisisse in morte optares? optarem, ut præcepta Divina, Ecclesiastica, ac cõsilia Evangelica omnino servassem: ut sacramenta reverenter frequentassem: ut omnes honores, voluptates, divitias penitus sprevissem: ut mundi, carnis, diaboli tẽtationibus fortiter restitisẽ:

ut

ut me in omnibus virtutibus continuò exercuissem: & omnia peccata etiam levissima semper vitassem: & pro commissis per veram contritionem, & confessionem, pœnitentiam dignè satisfecissem: Ut acceptabile salutis & pretiosissimum vitæ tẽpus in servitio Dei, & procuranda mea, proximique salute diligenter impendissem: Denique ut ita vocationi meæ conformiter vixissem, ut bene mori possem. Hoc idem fac igitur nunc in vitâ, quod in morte te fecisse velles, & exoptatam mortem obibis.

obibis. Iniquissimum enim est in illo statu vivere, in quo mori non auderes. Bene S. Augustinus. Non potest malè mori, qui bene vixit: vix bene moritur, qui malè vixit. & alibi Idem. Legi scripturam & perlêgi & non invêni salvatum in fine, nisi solum latronem? & S. Bernardus: Mors peccatorum mala: quia amara in animæ separatione: pejor in dæmonum possessione: pessima in æternâ damnatione? & sanctus Hieronymus. In veritate comperi, & coram Domino fateor, quòd numquã est

est malus finis ei, qui semper bene vixit, & ex centum millibus vix unus finem bonum habebit, qui malè semper vixit.

227. Anima mea, dum interes sacro aut concioni, à colloquiis & garrulitate abstinere convenit propter reverentiam Mysterii & Verbi divini. Divinæ leges sunt (ait Chrysostomus) & cœlitus illatæ ad salutem nostram. Jam si cùm Regiæ leguntur literæ, ubique est silentium, abestque strepitus & tumultus, omnibus adstantibus, & aures arrigentibus, ut sciant,

quæ Regiis literis manifestentur. Et quisquis vel parum tumultuatus fuerit, in magno periculo est. Multò magis cum magno timore, & tremore adstandum sacro & Concioni, altum habendũ silentium.

227. Anima mea, in sanguinis nobilitate; non in generis antiquitate, & propagatione; non in adeptione magni imperii; non in possessione multorum dominiorum: non in amplitudine dignitatum & officiorum: non in divitiarum ac voluptatum affluentiâ tibi gloriandum est:

est: sed in hâc prærogativâ, quia Creatura Dei & imago existis: quia luce rationis illustrata: imperio voluntatis insignita: memoriæ dono affecta: quia ad finem supernaturalem destinata: quia Christi sanguine redempta: quia in nomine sanctissimæ Trinitatis baptizata: quia denique virtute Fidei, Spei, & charitatis es dotata. Hinc sanctus Hieronymus inquit: Summa apud Deum nobilitas, clarum esse virtutibus.

228. Anima mea, si gratiosum, cumque vanum ac fallacem alicujus Magnatis intui-

tum tantopere æstimas: cur non etiam à Christo benignè ac salubriter respici & in meliorem mutari affectas? Hinc Sanctus Matthæus ex unico ejus aspectu ex telonario Apostolus & Evangelista creatus, sicut in Personâ Matthæi Jacobus de Voragine loquitur: Jam non publicanum gero, jam non porto Levi, exui Levi post Christum: ac si diceret, postquam Christus divinis suis oculis me aspexit, statim in alium transformatus sum, jam non ampliùs peccator, non publicanus, non Levi, sed sanctus, sed amicus

micus Dei, ſed Apoſtolus & Evangeliſta. A Chriſto igitur reſpici ſatage, ut in meliorem transformeris. Nam ſecundùm D. Chryſoſtomum ornatur bonis, malis caret, quem viderit Deus.

229. Anima mea, umquámne cogitaſſes in flore exiſtentem Monarchiam Chaldæorum, Perſarum, Græcorumque aliquando perituram? umquâmne Trojam, Hieroſolymam, Romamque florẽtem, aliquando ruinandam, putaſſes? umquámne opulentiam Salomonis, Aſſueri, Alexandri Magni, Mithrida-

tis & aliorum, aliquando finem habituram putasses: & tamen quæ tempore creverunt, tempore quoque desecerunt. Hinc non minùs eleganter, quàm veraciter Beatus Jacoponus exclamat: Cur mundus militat sub vanâ gloriâ, cujus prosperitas est transitoria. & paulò post: Nil tuum dixeris, quod potes perdere, quod mundus tribuit, intendit rapere (intelligetu) si non in vitâ, saltem in morte. Fœlicem te igitur, si cum mundo crescere contemnis, ne cum mundo etiam deficias. Ad cujus contem-

temptum omnes ſanctus Joannes hortatur, dicens: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt: Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. Quoniam omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & cõcupiſcentia oculorũ & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit, & concupiſcentia, ejus.

230. Anima mea, noli elevari de bonis naturalib⁹, aut gratuitis, aut fortuitis. Videlicet de pulcritudine corporis, de nobilitate, vocis habilitate eloquen-

quentiâ: De consanguineis, vestibus, equis, sellis, frænis: De hospitalitate, eleemosynis, ędificiis: De potentiâ, divitiis, & similibus bonis exterioribus. Neque de continentiâ, abstinentiâ, scientiâ, largitate, morum honestate: Neque de vitæ austeritate, gratiâ prædicationis, confessionis, devotionis, lacrymarum: Neque de patientiâ, obedientiâ, paupertate, vestium humilitate, & aliis virtutibus: Neque de animo, intelligentiâ, memoriâ, voluntate ingenii perspicacitate & similibus, quibus alios

alios antecedis. Sed continuò illud Apostoli mente revolve: Quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

231. Anima mea, nequaquam cónvenit invidere proximo, quod ei Deus favet; neque tristari de successu ejus, honore, laude, donis, promotione, facultatibus ac prosperitatibus, sed æquè potiùs de illîus bono, ac proprio lætari. Nam grave quid invidia (ait Chrysostomus) grave & simulatione plenum. Hoc mundum innumeris re-

plevit malis. Ex hoc morbo, litibus plena sunt tribunalia. Ex hoc, livores, & pecuniarum amor, ambitio, & inanis gloria. Hinc Urbes obsidentur, & mare piratas habet. Hinc per orbem cædes. Hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcumque malum videris, ex hâc radice producitur. Jam enim & in Ecclesias debacchata est, & priùs innumera paravit mala. Hoc avaritiam parit: vitium omnia confundens, & justitiam corrumpens. Et post nõnulla: Gravis est hic morbus. Nec aberraverit quis, hanc dia-

diaboli filiam appellans.

232. Anima mea, sępenumero irâ vel impatientiâ commoveris de rerum amissione, de morum tuorum correctione, corporis infirmitate, spiritûs afflictione, voluntatis perversæ fractione: De verborum asperitate, de auræ mutabilitate, de labore viæ, de sudore & similibus. Sed multò meliùs esset graviter torqueri de spiritualibus defectibus. Quia non habes debitam diligentiam & fervorem, ad bona opera: nec puram intentionē, in factis tuis. Nec doles,

quòd

qūòd Deus Pater tuus offenditur tam graviter, & tam frequenter. Nec compateris proximis, cùm intus & foris affliguntur. Sed elevaris in prosperis, & dejiceris in adversis. Pro hujusmodi, debes continuè irasci & torqueri, ac cum Regio Prophetâ cõtrito corde exclamare, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

233. Anima mea, dum tædium habes Deum laudandi, gratias agendi, bene operandi, meditandi tempore &

loco

loco debito & opportuno: & negligis propter teporem multa bona ad faciendum tibi possibilia: tunc sancti Gregorii remedio útere ad fugandam acediam. Acediæ vitium id est tædium cordis (inquit ille) depellitur, si semper bona cœlestia cogitentur, Tædere quidem mẽs nullatenus potest quę tam jucunda bona lætanter videt. Tristitiæ enim angustiosum malum, spiritualis lætitiæ campo devoratur. Sed tamẽ ipsa spiritualis lætitia se menti non infundit, quo temporalis vitæ angustias transgredi

di cōtēplādo nō novit. Benè quidē tristitia vincitur, si tēporalium laborū præmia videantur. Quia unde electa mens tēporaliter se affligi cōsiderat, inde gaudere in cœlesti patriâ ęternaliter sperat.

234. Anima mea, spiritualiter fornicaris, cùm à fide Catholicâ recedis: aut fidem Christianam incantationibus contaminas, per quam DEO desponsaris. Item cùm aliquid DEO præponis, vel æquas, in amore vel timore, sive rerum temporalium, sive corporis, sive donorum, sive amicorum. Hoc fit semper, quo-

quoties ex indebito amore vel timore peccatum committis. Item, cùm inordinatis affectionibus, aut pravis voluptatibus, sponte sordidaris. Item, cum magis delectaris transitoriis, quàm æternis. Item, cùm consolationem & requiem extra Deum, sive in peccatis, sive in creaturis, quęris dicente Augustino: Fecisti nos Domine ad te: & inquietū est cor nostrum, donec requiescat in te.

235. Anima mea, avaritia carnalis committitur immoderato appetitu rei temporalis, vel dignitatis, vel poten-

tentiæ ſæcularis. Avaritia verò ſpiritualis, appetitu ſpirituali dignitatis: cum aliis præeſſe deſideras, in religione vel extra. Contra quod dicit Bernardus: Quoties aliis præeſſe deſidero, toties Deum meum præire cōtendo. Chriſtus enim fugit, cùm vellent eum facere Regem. Item, cùm appetis ſcientiam pro gloriâ, pro lucro, vel apparentiâ, vel curioſitate, ut Adam & Eva. Talis ſcientia inflat. Item, cùm in contemplatione, profunda ſcrutaris; ut inter alios appareas, vel de talibus ſcias loqui:

loqui: contra quod Apostolus dicit: Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad temperantiam: id est, tantùm illa investigare, quæ utilia sunt ad salutem. Quod videtur innuere Dominus Apostolos arguendo, cum quærerent de occultis: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta.

236. Anima mea, Gulosa existis, cùm cibum ampliùs, quàm naturæ tuæ conveniat: vel lautiora, vel rariora, quàm Personæ tuæ conveniat: vel nimis sumis avidè delicata: vel propter gastri-

mar-

margiam ante tempus. Ventris autem studium, est ruina virtutum: ut benè Gregorius. Princeps coquorum, destruxit muros Hierusalem. Princeps coquorum, venter est, cui magnâ curâ obsequium à cocis impenditur, ut ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Hierusalem, virtutes sunt animę, ad desiderium supernæ pacis elevatæ. Coquorum igitur princeps, muros Hierusalem dejicit: quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriã destruũtur.

237. Anima mea, rapina

spi-

ſpiritualis fit, cùm aufers alteri pacem pectoris, & devotionem mentis, ipſum turbando: & virtutes, quâcumque occaſione ad peccandū pertrahendo: vel honorem, publicè infamando. Fit etiā rapina erga Deum, quando ea, quæ propriè Dei ſunt, temerè à te uſurpantur. Hoc fit, quando de bonis operibꝰ, & (quod pejùs eſt) de malis factis placentiā & laudē deſideras; quaſi ea propriâ virtute feceris, non attendens verbum Apoſtoli: Soli Deo honor & gloria, qui omnia opera noſtra operatur. Et ver-

verbũ ipsîus Domini dicẽtis: Gloriã meã alteri non dabo.

238. Anima mea, furaris, cùm res alienas invito domino usurpas. Cùm alterius honorem occultè detrahẽdo subtrahis; aut sanctam vitã, vel bonam famam alterius, denigras signis, nutibus, cantilenis, verbis nudis aut palliatis. Aut libello infamiæ, peccatum occultum publicando. Vel ad peccatum illîus adjiciendo; vel falsum aliquid dictando: vel bonũ alterius, cùm de eo interrogaris, tacendo: vel bonum illîus diminuendo: vel bonum

num ad malum convertendo. De talibus Gratianus dicit. Tolerabiliores sunt, qui bona diripiunt, quàm qui famam nostram tollunt.

239. Anima mea, homicidium corporale perpetras, cùm linguâ manuque quempiam occidis: spirituale verò, cùm indigenti victum vel vestitum necessarium denegas. Augustinus. Pasce fame morientem: quem si non paveris, occidisti. Item, cùm tu ad imaginem Dei creata, & pretioso Christi sanguine redempta, propriis peccatis, vel alienis involveris. Videlicet



licet, cùm nutibus aut signis, incessu impudico, exemplo pernicioso, verbis amicabilibus, alium scandalizas: id est, ei occasionem ruinæ das. Cui maledicit Christ⁹: Væ homini, per quem scādalum venit.

240. Anima mea, falsum testimonium dicis, cùm scienter falsum contra aliquem publicè imponis: sicut fecerunt duo senes presbyteri, contra Susannam. Falsum testimonium dicis, cùm Jesu Christi vitam, consilia, doctrinam ore commendas, & factis negas. Falsum testimonium dicis, cùm unum loqueris



queris ore, & aliud sentis corde: contra illud Evangelii: Sit sermo vester: Est, est, Non, nõ: id est quod ore dicitis, corde sentiatis. Insero hîc verba sancti Bernardi. Si mendaciũ apud omnes damnatur, si falsitas humano judicio punitur; quantò magis ante Deũ, qui est testis verborum & operum: ante quem etiam de ocioso verbo unusquisque rationem redditurus est. Ante quem, & pro ocioso sermone pœnas quisque sustinebit. Et perdet eos, qui loquũtur mendacium; & testis falsus, non erit impunit⁹.

241. Anima mea, indignum est, cùm Deo cuncta obediant, & Deus tibi cuncta subjecerit, quod tu sola Creatori tuo non obedias; non servando ejus præcepta: Apostolorum instituta, pro utilitate Universitatis edita, & inferiorum Prælatorum mandata; Ecclesiæ quoque consuetudines, videlicet cõsueta jejunia, & solennes sanctorum festivitates. Hinc illa Bernardi adhortatio. Prælatis tuis numquam rebellis existas, præpositis tuis in nullâ causâ contradicas. Cede autoritati majorum, defer-

defer digna servitia majoribus.

242. Anima mea, discors esse censeris, cùm non subjicis te Deo, ut sis unus spiritus cum ipso. Sed in omnibus voluntati divinæ temerè reluctaris: intus, in affectionibus & voluntatibus: foris, in quinque sensibus & membris illicita exercendo. Conformari verò debes proximis, quantum audes coram Deo secura conscientia. Est autem unum malum discordiæ, quod detestatur Dominus, ut dicit Salomon: cum scilicet seminas inter fratres

discordias. Hinc Bernardus de modo bene vivendi ad sororem ita scribit: soror charissima, crede mihi, quia Deo non tantùm placent nostra jejunia, nostræ orationes, sacrificia, quantùm concordia. Ideo Deus dicit in Euangelio: Vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Venerabilis soror, magna est virtus concordiæ apud Deum, sine quâ non placent Deo nostra sacrificia, quibus delentur peccata.

243. Anima mea, Idololatriam colis, cùm honorem

Crea-

Creatori debitum, creaturis exhibes, & eas plus quàm Deum diligis. Qui tantò tibi debet esse amabilior, quantò creaturâ potentior, melior, & nobilior. Pro quocumque verò Creatori tuo renuntias, sive sit peccatum, sive alia res, illud veraciter pro idolo in mente portas. Hinc sanctus Bernardus perbene fatur. Profectò quisquis plus amat mundum quam Deũ, impi⁹ atque Idololatra esse convincitur; colens & serviens creaturæ potiùs, quàm Creatori.

244. Anima mea, Infidelis

es, cùm non credis articulis fidei: promissis & minis Dei, & doctrinis in sacrâ scripturâ contentis. Cùm tamen fidelis DEUS sit in omnibus verbis suis: Et tantùm, ut teste Domino tuo JESU Christo, cœlum & terram citiùs posse mutari dicat, quàm verba sua. Item, ille infidelis est, & Deum esse in occulto non credit: ut dicit B. Augustinus. Qui ea occultè præsente Deo, facit, quæ coram hominibus facere pertimescit. Item, teste Ambrosio, infidelis est, & non verè Christian⁹, qui nõ audet in eo statu

ſtatu mori, in quo audet vivere.

245. Anima mea, Ingratitudo eſt vitiũ ſpirituale, quo obſtruitur fons divinæ pietatis, ne effluat: & evaneſcat, & exſiccetur gratia cordis, quam Deus tribuerat. Et induratur mens, ne ad percipiendam gratiam habilis fiat. Sicut ventus urens exſiccat humorem terræ, indurans eam, ne pluviam ſuper ſe venientem excipiat. Gratitudinem tibi commendans ſanctus Bernardus ait. Diſce, in referendo gratiam, non eſſe ſegnis: diſce ad ſingula dona

gratias agere. Diligenter, inquit, considera, quæ tibi apponuntur: ut nulla videlicet Dei dona, debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique jubemur colligere fragmenta, ne pereant: id est, nec minima beneficia oblivisci. Numquid non perit, quod datur ingrato?

246. Anima mea, Hypocrisim committis, cùm meliorem te fingis, quàm in veritate sis. Item, cùm oras, jejunas, humiliter incedis, taces, seriò te habes; sępe & diu con-

confiteris, & cætera bona opera facis, ut appareas hominibus sanctior: cujus tamen cor est plenum superbiâ, invidiâ, avaritiâ & aliis malis. Quid facies misera, cùm districtus jūdex cœperit, abscōdita tenebrarum, & occulta cordium perscrutari? Talibus maledixit Deus: Væ vobis Hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis. Tales in sacramento confessionis, peccata sua dimidiant, palliant, attenuant & excusant coram Deo, qui omnia cognoscit: ne confessor ipsos tam viles reputet, quales sunt

veraciter coram Deo. Chrysostomus. Hypocrita est omnis doctor, qui non priùs facit, & postea docet. Dum enim bona docet, profitetur se justum coram hominibus, dum autem malè agit peccatorem se constituit infra se.

247. Anima mea, placere sibi, & aliis velle placere, vitium est periculosum: quia superbus non potest consortiũ habere cum eo, qui dicit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. & Prosper inquit. Periculosum est homini sibi placere, cui cavendum est superbire. Si verò aliquis

aliquis placere desiderat propter corporis pulcritudinem, sanitatem, divitias, amicos, vel nobilitatem, & similia: aut propter dona corporis & animi, hoc nihil aliud est, quàm si glorietur pertica, quod pretiosæ vestes suspenduntur in eâ: quæ cùm Ornatu fuerit spoliata, remanet nudus truncus. De quo Propheta: Dissipavit Deus ossa eorum: id est, virtutes interiores, in quibus tota vis pendet, qui hominibus placent, id est placere contendunt.

248. Anima mea, Persona-

rum acceptatrix es, cùm hominem non ob hoc quòd homo est, sed ob aliud, quod circa ipsum est, honoras: Videlicet, cùm unum propter divitias vel propter potentiam revereris: & alterum propter rerum inopiam, corporis deformitatē aspernaris. Appositè sanctus Gregorius. Superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, quâ ad imaginem Dei facti sunt, sed honores & divitias veneramur. Cumque pensemus, quæ circa eos sunt, negligimus pensare ipsos, eò profectò quod inferiora minimè

nimè providemus. Dum ea consideramus, quæ in corporibus despecta sunt, negligimus pensare, quod sunt. Redemptor vero noster, ut ostenderet, quia quæ alta sunt hominum, despicienda sunt: & quę despecta sunt hominũ, despicienda non sunt: ad filium Reguli ire noluit, ad servuum Centurionis ire paratus fuit. Increpata est ergò superbia nostra, quæ nescit pēsare homines propter homines.

249. Anima mea, noli diffidere Deo, quasi ipsîus auxilio non possis evincere tentatio-

tationes: nec cavere casus multiplices in motibus exterioribus, videndo, audiendo, loquẽdo, ridendo, comedendo: Nec vitare imperfectionem in voluptatibus & affectionibus, nec proficere in virtutibus: sed audi Augustinum te confortantẽ dicendo. Nihil est tam arduum, atque difficile, quod non Deo juvante, planissimum atque expeditissimum fiat. & alibi Idem. Projice te in Deum, noli metuere: non se subtrahet, ut cadas.

250. Anima mea, cave temerè, confidere de sanctitate pro-

propriâ, scientiâ, mentis cõstantiâ, in largâ Dei misericordiâ. Proverbium enim est: Quod qui optimè sciunt natare, citius submerguntur. Et qui scandere sciunt optimè, cadunt ex præsumptione celerrimè. Similiter maximè de seipsis temerè præsumentes, in gravissima crimina prolabuntur. Ponenda est ergo tota fiducia tua, in Solo Deo Patre, & Filio suo Domino JESU CHRISTO: quem Pater, coactus naturali pietate, tibi dedit, cum omni quod est, & potest, in divinâ & humanâ naturâ. Ex

cujus vulneribus securè accipis, cujuscumque gratiæ defectum te habere sentis. Vitari vult temerariam perseverantię præsumptionē Leo Papa, dum ait: Nemo est tātâ firmitate suffultus, ut de stabilitate suâ debeat esse securus.

251. Anima mea, nimis absurdum est, alienam conscientiam judicare, cùm propriam conscientiam non sufficias investigare. Delicta enim (Davide teste) quis intelligit? Nescis, utrum ad benè operandum, moveat te gratia vel natura, aut fa-

ctis

ctis tuis purè quæras laudem Dei, vel propriam utilitatẽ. Nescis discernere, quando aut ipsa Deo placeas, vel displiceas. Ideo totum committendum est Domino nostro JESU CHRISTO, cui Pater dedit omne judicium. Laudabile autem est, cùm recte se habet conscientia, non curare aliorum judicia temeraria. Hinc Augustinus, Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè judicatur. Ei autem, qui temerè judicat ipsa temeritas, necesse est, ut noceat. Idem Alibi. Senti de

Augustino quidquid libet: Sola me in oculis Dei conscientia non accuset.

252. Anima mea, nimiâ mentis cæcitate laboras, quòd te ipsam & opera propria aliis præferas, & alios, aliorumque facta in corde despicias. Cùm non scias de altero, quanti meriti sit apud Deum, & ex quantâ charitate fiant alterius opera coram Deo: Teipsam autem verè possis & debeas sentire inutilem in Ecclesiâ Dei. Neque scias, si Deo placuerit, omni tempore vitæ tuæ, unicum opus tuum. Hoc vitium distri-

diſtrictè prohibet Dominus Deus: Videte, ne contemnatis: non dico aliquem magnum, ſed nec unum de puſillis iſtis, qui in me credũt. Quare prohibuit? Quia meliùs eſt, ut dicit Beda, in ſimplici converſatione Deo ſervire devotè, quàm multis abundare virtutibus, facta Proximorum diſcutere.

253. Anima mea, crimen læſæ divinæ Majeſtatis committis, quando indignè aut celebras, aut communicas, & ſupplicium grave mereris. Etenim judicium tibi manducas, & rea eris Domini: id eſt,

id est, tales pœnas exolves, dicit Glossa, sicut illi, qui cruci Dominum affixerunt. Theodoretus Apostolum explicans ait. Illud autem (Reus erit corporis & sanguinis) hoc significat: Quod, quemadmodum tradidit ipsum Judas, ipsi autem insultarunt, & cum probris & convitiis affecerunt Judæi: ita enim ignominiâ & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum, & incestum os immittunt.

254. Anima mea, immisericors es, cùm Creatori tuo non

non compateris in omnibus molestiis, injuriis & offensis, quas ab initio mundi sustinuit innocenter, & sustinebit usque ad finem. Et modò sustinet ab Amicis, quos maximè sublevavit: & bonis gratuitis & naturalibus, in corpore & in animo dotavit: à quibus in eisdem donis incessanter peccatorum patratione impugnatur. Item immisericors es, cùm non misereris proximis, hæredibus Dei, cohæredibus Christi: scilicet pauperibus, infirmis, tribulatis, afflictis, punctis in corpore & spiritu. Et tamen ex sa-

ex facili posses, necessitatem cujuslibet spirituali vel corporali subsidio relevare. Et præcipuè in Purgatorio, qui nullatenus se juvare possunt: qui tamen maximè operibus misericordiæ indigent, ut ipsorum pœnæ mitigarētur, & breviarentur, aut penitus solverentur. Item immisericors es ad teipsam, cùm mortiferis vulneribus tuis medicinam non adhibes, per contritionem, confessionem, & satisfactionem. Quot enim sunt peccata mortalia, tot sunt in te vulnera mortifera. Unde S. Bernardus. Disce homo,

homo, quàm dura & aspera peccatorum nostrorum vulnera, pro quibus oportuit Dominum JESUM Christum vulnerari. Si enim non essent ad mortem æternam, numquam pro eorum medicinâ Christus moreretur.

255. Anima mea, fallis Deum, cùm amplius creaturas, quàm ipsum diligis. Fallis Proximos; cùm veraciter intus mala existis: & tamen sicut hypocrita, bona in conspectu hominum appares. Fallis existentes in Purgatorio, cùm pro eorum personâ eleemosynas recipis, nec tamen



men secundùm confidentiã dantium, vigiliis, orationibus, aliisque bonis operibus, pœnas eorum pro posse diminuis. Fallis teipsam, cùm culpas tuas in confessione pallias, diminuis, dimidias, vel excusas: cùm justus Deus, vel nihil penitus, vel totum simul remittat. Aut cùm non secundùm qualitatem, quãtitatem, & numerum culparum satisfacias: credens post mortem continuò in cœlum evolare, cùm longas & acerbas pœnas purgatorii sis subitura, si infernum evades. Unde S. Diadochus Episcopus de malâ



de malâ confessione dicit. Nisi, ut decet confessi fuerimus, metum quendam latẽtem, tempore obitûs nostri, in nobis reperiemus. & Augustinus ad hominem. si non confessus lates, non confessus damnaberis: damnaberis, tacitus, qui posses liberari confessus.

256. Anima mea, simonia est, cùm spiritualia dona emis vel vendis pro temporalibus, dicente Domino: Gratis accepistis, gratis date. De Simoniæ malo ita sanctus Gregorius loquitur. Scimus autem, quantâ animadversione

sione hanc (scilicet hæresim) Apostolorum Princeps insecutus est: qui primam damnationis sententiã contra Simonem protulit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum DEI existimasti pecuniâ possideri.

257. Anima mea, verè Deum amas, quando cum omnib⁹ virib⁹ tuis ardenter te infundis Deo, nullum commodum transitorium, vel æternum quærens in eo: sed solummodo propter bonitatem, nobilitatem, sanctitatem, perfectionem, & beatitudinem sibi innatam, afficeris

ris circa Deum. Argumentum veræ charitatis ponit Dominus in Joanne dicens: Qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me. Cujus testis est Augustinus dicens: in tantum Deum diligimus, in quantum ejus præcepta servamus; nec plus nec minus.

258. Anima mea, humilis es, cùm gloriam contemnis exhibitam, nec appetis exhibendam, nec umquam de aliquâ gloriâ vel gratiâ glorjaris, nisi ex hoc audientibus, confidentiam ad Deum præstare intendas: & si de te glo-

riosum aliquid, vel aliqua gratia recitatur, hoc cum dolore cordis & dejectione tui audias: sciens solius Dei esse, quod tibi adscribitur, cui soli danda est gloria: & verè humilem (teste D. Bernardo) vilem velle reputari, non humilem prædicari. Amans autem humilitatem, debes radicem humilitatis in corde tuo plantare, hoc est propriam fragilitatem agnoscere: Ut te reputes non solùm quàm vilis sis, sed etiam quàm vilis esse possis. Imò etiam quàm vilis hodie fieres, nisi Deus violenter te à

pec-

peccatis retraxisset, & nisi tibi tentationes subtraheret. Ibi te cognoscere potes: atque etiam ex tuâ fragilitate te esse dispositam, ad abyssũ & voraginem omnium vitiorum, juxta illud: Humiliatio tua, in medio tui.

259. Anima mea, obediens Deo existis, cùm diligenter & sæpe recogitas, quid maximè, quolibet tempore & loco placeat Deo: & ad quòd sapiens Deus, te præcipuè ordinavit, & hoc toto nisu, semper implere contẽdis. Inductivum veræ obedientiæ est summa obedien-

tia Jesu Christi, qui non solùm Deo Patri obedivit per omnia dicens: Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat, sed etiam hominibus bonis & malis subditus fuit, imò & dæmonibus. Argumentum veræ obedientię habet D. Bernardus. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem: parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri: totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem.

260. Anima mea, patiens es,

es, cùm sustines patienter injurias, non solùm cùm rea es, sed etiam cùm innocens es, exemplo B. Job dicentis: Nō peccavi, & in amaritudine moratur oculus meus. Et licet tolerabilior sit injuria innocenti, quàm culpabili: tamen multò suaviùs sufferri potest, & debet injuria, quū nihil conscientiam remordet de culpâ aliquâ, quàm si præcedente culpà aliquâ molestiam meruisses. Teste B. Petro, qui ait: Nemo vestrū patiatur, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut aliorum appetitor. Si autem ut

Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in nomine isto. Meliùs est enim, benefacientes (Si voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes. Quæ enim est gratia, si peccantes & colaphizati suffertis? sed si benefacientes, patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.

261. Anima mea, pauper es cùm omnia propter Deũ, sponte & libenter relinquis, nihil præter solam necessitatem possides, eademq́ue necessitate te indignam sentis: imo etiam ipsâ necessitate, quandoq́ue propter Deum, &

& propter paupertatis amorem, libenter cares. Ubi enim non est necessitas, ibi nō potest perpendi vera paupertas. Sic Dominus noster JESUS CHRISTUS, necessitate cibi caruit, cùm nec sibi, nec discipulis suis spicas confricantibus panem habere potuit. Qui similiter vestium necessitate caruit, quando (teste D. Bernardo) ante crucem penitus nudatus fuit. Qui etiam sitiens in cruce, haustum aquæ habere non potuit. Nec lapidem nec asserem, in quo moriens crucifixum caput reclinaret.

262. Anima mea, castitatem amas, cùm non solum corpus à pollutione carnali custodis, imò etiam teipsam, à concupiscentiâ carnali, mundam servas. Exemplo Saræ dicentis: Tu scis Domine, quia numquam virum concupivi, & mundam servavi animam, ab omni concupiscentiâ. Præcipuum autem conservativum castitatis est, delectari in Domino, tunc enim omnia alia vilescunt. Gustato enim spiritu (ita Bernardus) desipit omnis caro. Unde Gregorius. Qui enim terrenarum

rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidē sine delectatione anima numquā potest. Nam aut infimis delectatur, aut summis. Et quantò altiori studio exercetur ad summa, tantò majori fastidio torpescit ad infima: Quantóque acriore curâ inardescit ad infima, tātò tepore dānabili frigescit à summis: Utraque enim simul & æqualiter amari non possunt.

263. Anima mea, abstinentiam servas, cùm tantùm uteris necessario victu & vestitu: & omnimoda subtrahis de-

lectabilia & superflua; & ea, quæ multâ diligentiâ fiunt, & magnis sumptibus comparātur. Exemplo S. Joannis Baptistæ: qui locustas comêdit, & folia arborum lactearum, mellis saporem habentia: Et aquam bibit, & vestem de pilis camelorum habuit. Unde Apostolus: habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Præterea veram abstinentiā servas, quando non solùm libenter abstines à delectabilibus, quæ non habes, & quæ tibi sunt illicita: sed etiam vitas sponte, & purè propter

Deum

Deum delectabilia quæ habes, & quæ habere potes: quibus licitè & meritoriè uti posses: sive cara sint, sive vilia, sive delectabilia. Nam si plus delectareris in pultibus, quàm in perdicibus, in aquâ, quàm in vino: acceptior esses Deo, si à pultibus, quàm à perdicibus, ab aquâ quàm à vino abstineres. Dicit enim D. Augustinus: Delitiæ quælibet, si absque desiderio sumantur, non officiunt. Et cibi viles delectabiliter vel appetenter accepti, perfectæ abstinentiæ impediunt virtutem. David enim aquam

a quam malè concupitam effudit: Elias vero carnem nō concupitam, sed à Deo per corvum missam comedit. Hoc testatur Esau, qui non propter gallinam, sed propter lenticulam, irrecuperabilem benedictioné amisit.

264. Anima mea, verè prudens es, quando semper niteris ad cognitionem divinæ naturæ, & profunditatem humanæ miseriæ pervenire. Quam quidem prudentiam optavit D. August: dicens: Deus semper idem, noverim me, noverim te. Verè prudens es, quando summopere su-

fugis omne id, quod elongat ad tempus à familiaritate Dei, ſcilicet peccatum veniale: & quod ſemper ſeparat à fruitione Dei, ſcilicet peccatum mortale. Similiter quando diligis omnia, quæ approximant Deo, ſcilicet opera bona: & quæ æternaliter uniunt Deo, ſcilicet virtutes & Spiritûs ſancti dona. Verè prudens es, quando ordinas cogitationes cordis, ne extra Deum vagentur: affectiones mentis, ne circa creaturas nimis occupentur: voluntates, ne à Deo avertãtur: Intentiones, ne m ſceantur,

tur, sed purificentur: Judicia & suspiciones, ut ad meliùs convertantur: Omnia verba, facta & incessus, ut ad debitum finem omnia fiant, pro communi utilitate & omnium emendatione. Nam, teste Salomone, sapientia hominis lucet in vultu ejus: hoc est secundùm Augustinũ in conversatione exteriori. Item de hoc dicit D. Bernardus: Quotidianâ discussione examina vitam tuam, attende diligenter, quantùm profeceris, quantùm defeceris: qualis sis in moribus: qualis in affectibus: quàm similis & dissi-

dissimilis Deo: stude diligẽter teipsum cognoscere. Quia multò melior es, si teipsum cognoveris, quàm si te neglecto cursus siderum & vires herbarum cognoveris.

265. Anima mea, fortitudinis est, dominari animo suo, cùm tentatur animus à superbiâ, invidiâ, irâ, luxuriâ, avaritiâ, vanâ gloriâ, complacentiâ, & delectatione carnali: & ratio intelligens nequaquam consentit, sed statim reprimit. Unde illud. Melior est, qui dominatur animo, expugnatore Urbium. Hanc fortitudinem Sampson for-

fortissimus non habuit, licet Leonem dilaniaverit, & cum mandibulâ asini mille viros straverit. Quia post, propter concupiscentiam mulieris, omni fortitudine privatus est. Illam David non habuit, qui ursum & Leonem occidit, & Goliath interfecit, tamen oculos suos ab illicito usu non cohibuit. Item fortitudinis est, firmare intellectum in cognitione Dei & sui, & affectum in dilectione Dei & proximi: roborare mentẽ inter adversa, ne terreatur: & inter prospera, ne mulceatur; mentem animare, ut sem-

ſemper exerceatur in bonis: confortare ipſam, ne umquã vincatur in malis. Primam fortitudinem Paulus habuit & Stephanus: ſecundam Mathathias & Eleazarus, Lot & David: Tertiam Tobias.

266. Anima mea, Juſtitia vera ad Deum, eſt redditio debitæ laudis in omni divinâ naturâ ſuâ: debitæ gratiarũ actionis, pro omnibus bonis & donis collatis & malis perpeſſis: debitæ ſatisfactionis, pro omnibus commiſſis & omiſſis: debiti fervidi doloris, pro omnibus gratiis neglectis. Inductivum veræ juſti-

tiæ

tiæ est, quod dicit David: Justus Dominus, & justitias dilexit. Nam justo promittitur in præsenti spes & lætitia secundùm illud: Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo. Item justis indicitur exultatio & laudatio secundùm illud: Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio. Item, quia justis prædicitur securitas in judicio, secundùm illud: stabunt justi in magnâ constantiâ. Item Justis fit æternæ vitę promissio, secundùm illud: justi in perpetuum vivent. Et quicquid boni Deus in scri-

ptura polliceetur, hoc maximè per justitiam acquiritur.

267. Anima mea, temperantiâ moderare cor tuum, non solùm à pravis cogitationibus & inutilibus, sed etiam serva modum in bonis; ne sæpiùs vel diutiùs cogitationes bonæ inhæreãt, quàm justum temp⁹ requirat. Quia officiales cogitationes licet utiles sint, tamen non sunt tractandæ infra divinum officium, secundùm quod dicit D. Bernardus; Spiritus sanctus illâ horâ non recipit, quicquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtule-

tuleris: cujus semper facere voluntatem, ad ejus voluntatem, ipso inspirante possumus. Similiter temperantiâ moderare linguam: quãdo scilicet loquendum, quãdo tacendum, & quamdiu, hoc est tempore opportuno. Cui loquendum, scilicet hominib⁹ nõ suspectis: Quãdo loquendũ & ubi, scilicet maturè cum pondere, numero & mensurâ: Propter quid loquendum, scilicet propter necessitatem vel utilitatem: Pro quibus negotiis, scilicet spiritûs & corporis. Similiter temperantiâ moderare

factâ

facta, & mores, & motum omnium membrorum, ut secundùm Apostolum, omnia honestè, & secundùm ordinem fiant.

268. Anima mea, compateris Deo, quando in corde tristitiâ vulneraris, pro omnibus injuriis Deo illatis, & adhuc inferendis in se & in amicis suis: quos qui tangit quasi qui tangit pupillam oculi sui, Compateris Proximo, quandò condoles medullitus ejus afflictionibus tam spiritualibus, quàm corporalibus, exemplo Apostoli dicentis: Quis infirmatur

(sic Glossa) vel in fide, vel in aliquâ virtute: & ego non infirmor? id est condoleo de eo, sicut de meipso? Quis scandalizatur de aliquâ molestiâ & ego non uror, igne compassionis? Compateris existentibus in Purgatorio, quando vehementer affligeris pro acerbitate pœnarum, quas sustinent. Et præcipuè, quòd à visione & fruitione Dei interim separantur, & Deus interim plenariè ab ipsis non laudatur. Et in illâ afflictione & compassione incessanter & ardenter DEO supplicas, ut eos à tantâ acer-

bitate

bitate & asperitate dignetur eripere. Ad veram compassionem inducere te debet abundantissima Jesu Christi compassio ad homines; qui (teste D. Augustino) sic festinat peccatorem à tormento conscientiæ suæ absolvere, quasi plus eum cruciet compassio miseri, quàm ipsum compassio sui.

269. Anima mea, pacem veram cum Deo habes (ut dicit Glossa super illud ad Romanos: justificati ex fide, pacem habeamus ad Deum) quando adversus mandata Dei, contrariâ voluntate non

non litigas: quando sequeris jussa Domini, & ad præceptum divinum tuum flectis arbitrium. Pax enim vera est concordare cum probis moribus, & litigare cum vitiis. Pacem veram cum Proximo habes, quando toto nisu caves, ne quemquam ex Proposito quâcumque occasione perturbes. Pacem veram tecum habes, quando continuè teipsam tantùm considéras: & unumquemq; proprio relinquens judicio, omnibus postpositis curis transitoriis & temporalibus, in solâ Dei contemplatione quiescis. Ibi

bi enim ſolummodo pax vera invenitur, teſte Auguſt. dicente: Feciſti nos ad te Domine, & inquietũ eſt cor noſtrũ, donec requieſcat in te.

270. Anima mea, verè miſericors es, cùm, quamdiu aliquid habes, indigentibus neceſſaria ſubminiſtras: quod ſi non faceres, veram miſericordiam nõ compleres, teſte Chryſoſto: At (inquit) ſemel dediſti, non eſt hæc eleemoſyna. Niſi enim quouſque habes, indigenti ſubveneris, nũquam debitum impleveris. Nam & Virgines (ſcilicet fatuæ) habentes lampades ha-

bebant Oleum, sed non ad sufficientiam. Alibi ille Idem: Neque verò si semel ac iterū dederimus, existimemus nos totum beneficientiæ munus explesse. Neque enim satis est semel cum laude gerere, sed perpetuò. Etenim qui postquam decem dolichos cucurrit, si pòst deficiat, totam laudem perdidit. Et nos si semel aggressi bona opera, postea defecerim⁹, totum amisim⁹, totum perdidimus.

271. Anima mea, concordas cùm Deo, cùm uniris voluntati divinæ in prosperis & adversis: & pro posse, divinis mori-

moribus & exemplis JESU Christi conformaris. Dicit enim Divus Chrysostomus: Nihil est dignius, quàm ut homo sit Auctoris sui imitator: & secundùm modum propriæ facultatis, divini operis sit executor. Hanc unionem petiit nobis Dominus, in penultimo vitæ suæ instanti, dicēs: sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Concordas cū proximis, quando, cum omnibus idem sapis, idem sentis in iis, quæ sunt ad Deum. Item quādo aliis conformaris in cibo, potu, somno: in moribus &

operibus, quæ non sunt contra Deum, nec contra professionem tuam, nec contra perfectionem, ut plures lucrifacias, sicut Apostolus de se dicit: Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerē, Omnia omnibus factus sum; ut omnes facerem salvos.

272. Anima mea, constantiæ virtute gaudes, cùm nec in prosperis, nec in adversis à perfectione retrahi potes: nec minis nec blanditiis induci ad transgressionem votorum & divinorum præceptorum; sicut septem fratres in libro Machabæorum, qui præ-

præcisis linguis, & abstracta cute capitis, & cæsis summitatibus manuum & pedum, in ollis æneis vivi torquebãtur. Et Eleazarus sub simulatione noluit illicitas carnes comedere, sed dixit se potiùs velle præmitti ad infernum. Hanc etiam virtutem te habere prodis, cùm numquam in laude cessas divinâ; juxta illud: Benedicam Dominum in omni tẽpore, semper laus ej⁹ in ore meo, &c. Nec cessas à ferventi desiderio proficiendi. Nam teste Leone Papâ: Nemo nostrum tam perfect⁹ est & sanctus, ut perfectior & san-

sanctior esse nō possit. Idem: Ibi incidunt deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerunt appetitum.

273. Anima mea, argumētum veræ largitatis exhibes, cùm das tua indigentibus hilariter, sine meritis alicujus gratiâ, & sine spe recompensationis. Sic dedit Dominus Jesus & se & sua omnia: & hoc maximæ perfectionis est. Nec sufficit verè largo sua dare; imò etiam pro salute proximorum, tempore necessitatis usque ad mortem exhibet semetipsum: sicut docet B. Joannes, dicens: In hoc cogno-

gnovimus charitatem Dei, quoniam ille animam pro nobis posuit: & nos debem⁹ pro fratribus animas ponere. Hanc largitatem habuit Apostolus, dicens: Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris. Idem quoque ait alibi: Quotidie morior propter vestram gloriam fratres: id est, pericula mortis sustineo.

274. Anima mea, verax es, quãdo quod sentis in corde, hoc profers ore, & perficis opere, exemplo Apostoli invitantis: Imitatores mei e-

ſtote fratres, & obſervate eos (id eſt, imitamini eos) qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Gloſſa: id eſt, ſicut ego credo, doceo, & vivo. Item verax es, quando Deo & omnibus hominibus immutabiliter omnia vota ſervas: & omnia verba tua ſemel dicta opere comples; niſi ea quandoque ex ſalubri conſilio mutes. Juxta illud Iſidori: In malis promiſſis reſcinde fidem: & in turpi voto muta decretum. Sic Dominus quandoque ſententiam propriam permutavit; ut patet in Ezechiâ & Ninivitis.

Nam

Nam Ezechiam moriturum per Esaiam prædixit, & tamē quindecim annos ei post fletum adjecit. Et Ninivem infra quadraginta dies subvertendam per Jonam prædicavit, quam propter humiliationē Regis & populi stare permisit.

275. Anima mea, specimē veræ mansuetudinis præbes, cùm propter illatas injurias mentem nequaquam exacerbas, nec amaritudinem cordis exteriùs indicas: sed es quasi homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Exemplo Jesu Christi, de quo Esaias: Et non aperuit

peruit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur; & quasi agnus coram tondente se obmutescet, non aperiet os suum. Unde dicit Glossa in Matthæum ad illa verba Beati mites. Mitis est, quem asperitas mentis seu amaritudo non afficit, sed simplicitas fidei ad omnem injustitiam patiendam instruit. Mitis est, quem nec rancor nec ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet. Hujus virtutis magnæ quasi Magistrum se fecit Dominus: quod non fecisset, nisi una summæ perfectionis hęc virtus esset Discite (inquit)

quit) à me, quia mitis sum, & humilis corde.

276. Anima mea, vera fides jubet credere, quòd Dominus noster Jesus Christus sit verus Deus, & verus homo, æternaliter de Patre natus secundùm divinitatem, temporaliter autem de Matre natus secundùm humanitatem, & per omnia æqualis Patri secundùm divinitatem. Qui assumpsit animam de nihilo, & carnem de purissimo sanguine B. V. MARIÆ: Impassibilis & immortalis secundùm divinitatem, passibilis & mortalis secundùm huma-

humanitatem. Magna fidei efficacia est. Nam vera fides omnia potest, omnia impetrat, teste Domino nostro Jesu Christo, qui ait: Omnia possibilia sunt credenti. Et: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis & evenient vobis.

277. Anima mea, spem veram habes, quando frequenter in bonis operibus te exerces, numquam tamen in tuis meritis, sed solùm in superabundanti bonitate & largitate Dei confidis; nesciens utrum bona tua Deo placeant. Cùm omnes justitiæ (teste

ſte Eſaiâ) ſint ſicut pannus menſtruatæ. Similiter veram ſpem habes, quando Deo ſacrificium juſtum offers, juxta illud: ſacrificate ſeacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino. Sacrificiũ juſtũ eſt Dominꝰ noſter Jeſus Chriſtus Unigenitus Dei filius, qui ſe pro peccatis totîus mundi obtulit DEO Patri in arâ crucis, ampliorem emendam offerens, quàm totus mundus debebat. Suffeciſſet enim, ut dicit D. Ambroſius, una gutta tam pretioſi ſanguinis, ad redimendum totum genus humanum, ſed abundanter effudit,

dit, ut abũdãtiã suæ dilectionis ostenderet. In hoc sacrificio est tota spes & sal⁹ nostra, juxta illud D. Bern: Peccavi peccatũ grãde: Turbatur cõsciẽtia, sed non perturbatur, quoniã vulnerũ Domini recordabor, nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tã ad mortẽ, quod non Christi morte salvetur? Si ergo in mentem venerit tam potens tamque efficax medicamẽtũ, nulla jã possum morbi malignitate terreri.

278. Anima mea, justus timor est anxietas cordis, retrahens te ab illicito usu mẽbro-

brorũ, sẽsuumque exteriorũ, & affectionum: ne vel à Deo penit⁹ separeris, vel à familiaritate ipsîus aliquantulũ elõgeris: cavens etiam, ne mens vel in cibo, vel in potu, vel in somno, vel in aliquâ creaturâ minimâ delectationẽ quærat, & sic à fervore tepescat. Ad justũ timorem te inducere debet ejus utilitas, de quâ D. Bernardus perhibet. In veritate didici, nil æquè efficax esse ad gratiã promerẽdã, retinendam, recuperandam; quàm si omni tempore corã Deo inveniaris non altùm sapere, sed timere. Beatus homo,

homo, qui semper est pavidus. Time ergò, cùm arriserit gratia: time cùm abierit: time cùm denuò revertetur: & hoc est semper pavidum esse. Et paulò pòst: Cùm adest, time, ne non dignè opereris ex eâ. Et paulò pòst: Time, cùm subtracta fuerit gratia, tamquam mox casurus. Et paucis interjectis: Jam si gratia repropitiata redierit, multò amplius tunc timendum, ne fortè cõtingat recidivum pati, juxta illud in Evangelio: Ecce sanus factus es; vade & jam ampliùs noli peccare, ne aliquid

quid deterius tibi contingat.

279. Anima mea, lætitiâ verâ frúeris, cùm solamen tuum quæris in his, quæ Dei sunt. Materia enim omnis gaudii in Deo est. Lætitiâ verâ frúeris, cùm sinceram habes conscientiam in omnibus factis tuis, nec umquam scienter transgrederis divina præcepta & vota: sed semper intendis proficere, & exemplis Jesu Christi & divinis moribus te conformare. De hâc conscientiâ gaudebat & gloriabatur Apostolus, dicēs: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.

Ad

Ad veram lætitiam inducere se debet, quòd super omnia bonus Deus, inter omnes creaturas solam creaturam humanam in tantum sibi univit, ut verè dicatur Deus esse homo, & homo esse Deus: & quidquid Deus habet per naturam, habet homo per gratiam: Nusquam enim Angelos apprehendit dicit Apostolus. Glossa Chrysostomi: Nonne magnum est & mirabile, carnem nostram sursum sedere, & ab Angelis & Archangelis adorari?

230. Anima mea, tristitia laudabilis, est dolor cordis pro

pro omnibus injuriis ac offensis, quas patiens Deus innocenter sustinuit à suis creaturis à principio mundi, & usque in finem sustinebit, tam à spiritualibus quàm à sæcularibus; imò quas sustinuisset ac sustineret, nisi eos à pluribus offensis sibi inferendis misericordi suá gratiâ præservasset, ac imposterum præservaret: Ad veram tristitiam inducere te debet utilitas ex eâ proveniens. Utilior est enim vera tristitia quàm vera lætitia; juxta illud: Meliùs est ire ad domũ luctûs, quàm ad domum convivii. Alia

est

est utilitas tristitiæ; Cùm oratio & cætera bona opera Deum ungant & mulceant, lacryma (quæ est effectus tristitiæ) Deum cogit, sive pungit dicit scriptura secundùm Bernardum.

281. Anima mea, veram gratitudinem habes, quando pro singulis beneficiis corporalibus & spiritualibus ab æterno in intentione, & à tempore in executione Ecclesiæ triumphanti & Militãti per misericordiam, inferno autem, ac purgatorio per justitiam collatis & conferẽdis, gratias continuas Divi-

nę Majeſtati rependis. Veram gratitudinem item habes, quando omnium donorum Dei indignam te ſentis. Et quantò te indigniorem beneficiorum Dei reputas, in tantum ampliùs gratitudo mentis excreſcit. Chryſoſtomus: Pro omnibus quæ tribuiſti nobis, ó Chriſte, nihil à nobis petis, quàm ſalvari, hoc ipſum tribuens, & accipientibus gratias agis. Utilitas gratitudinis eſt: quia ipſa aperit fontem pietatis divinæ, quem ingratitudo exſiccat. (ſicuti Bernardus teſtatur) & quantò major eſt gra-

tudo

titudo in aliquo, tantò fit habilior ad gratiam recipiendam, & tantò ampliùs cogitur largissimus Deus ad largiendum.

282. Anima mea, vero Zelo conversionis peccatorum flagras, quando sanctis meditationibus, ferventibus desideriis, lacrymis, orationibus, vigiliis, jejuniis, prædicationibus, confessionibus, cōsiliis, doctrinis atq; aliis bonis operibus pro salute corū laboras. Quanta autem hæc gratia sit, sic Beda describit: Quænam gratia sublimior, & Deo gratior conversatio

esse

esse potest, quam eorum, qui quotidiano exercitio alios ad Auctoris sui gratiam student convertere; & crebrâ fidelium acquisitione, gaudium cœlestis patriæ semper augere? Item Paulus Palacius dicit: Nullum cibum lautiorem Christo apponis, quã publicanos, si convertantur.

283. Anima mea, verè libertate gaudes, quando non es capta appetitu rerum temporalium; nec laude vel favore hominum; nec propriâ placentiâ vel displicentiâ aliena; nec amicitiâ carnali, vel timore servili; nec delectatio-

ctatione gaudii transitorii. Similiter verâ libertate gaudes, quando nõ es ligata vinculis peccatorum, quæ verè ligant juxta illud: Iniquitatẽs suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Et verè faciunt eum servum juxta illud: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Peccare enim non est libertas, nec pars libertatis, ut dicit Anselmus, sed est pessima species servitutis. Ab hâc specie servitutis nemo liberatur, nisi solius Filii Dei auxilio; ipso teste: si vos filiꝰ liberaverit, verè liberi eritis. 284.

284. Anima mea, Religiosam vitam agis, si ex consilio B. Jacobi visitas pupillos, & viduas in tribulatione corũ, & immaculatam te custodis ab hoc sæculo. Immaculatam autem te custodis ab hoc sæculo, quando moribus sæcularibus omnino renuntias; & tam carnalia quàm spiritualia peccata, in quantum potes, devitas. Item, quando fugis & odis carnale commodum; Hoc fugat carnalia desideria, quæ militãt adversus te, ut dicit Petrus: & appetis asperitatem & carnale incommodum: hoc

conservat gratiam, sicut spinæ custodiunt herbas in horto. Nam gratia effluit per os, oculos & aures. Et quomodo ignis & aqua simul esse nõ possunt: sic spirituales & carnales deliciæ, in eodem se nõ patiuntur secundùm Bernardum.

285. Anima mea, maturitas vera exigit, ut omnes affectiones & vires tuas unanimiter colligas in Deum. Ex hoc verò mens restringitur à vanitate, & quinque sensus ab illecebris compescuntur: sed quando à beatâ illâ unione recedis, mox diversis vanitatibus

tatibus irretiris: Nam omnia, quæ sub cœlo sunt, vana sunt, ut dicit Ecclesiastes. Ad veram maturitatem inducere te debet exemplum sanctissimum Jesu Christi, de cujus seriositate sic scribit D. Augustinus. Legimus Dominũ Jesum doluisse, flevisse, ex itinere fatigatum fuisse, opprobria & injurias sustinuisse; sputa, flagella, crucem suscepisse: numquam tamen legimus eum risisse, nec in terrâ prosperatum fuisse.

286. Anima mea, verè simplicitatem diligis, quando non occuparis circa multa,

ſicut Martha. Nam ibi plicæ ſunt, ubi plura. Sed tantùm unum quæris, de quo Dominus: Porrò unum eſt neceſſarium. De quo laudatur Maria Magdalena, quæ optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ: hoc eſt, unum bonum, in quo ſunt omnia bona, æterna, & immēſa? ſimplicitatem præcepit Chriſtus, cùm mitteret Apoſtolus in univerſum mundū, ad unitatem catholicæ fidei cōvocare incredulos, dicens: Eſtote prudentes, ſicut ſerpētes: & ſimplices ſicut columbæ. Ubi prudentia ſimplicitati

tati conjungitur. Nam prudentia sine simplicitate calliditas est, & simplicitas sine prudentiâ, stultitia est. Columba nec rostro, nec ungue lædit, ita verè simplex, nec verbo, nec opere nocet.

287. Anima mea, argumentum veræ taciturnitatis habes, quando non solùm moderaris linguam à verbis illicitis (ut sunt detractiones, mendacia, perjuria, impudica, levia, iracunda, nociva, maledica, ociosa & similia) sed etiam ab utilibus & licitis juxta illud: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis,

scili-

scilicet annuntiandis. Dicit Glossa: Ille non cadit ad illicita, qui sè cautè restringit à licitis. Non solùm autem per verba inutilia & nociva, sed etiã per verba utilia gratia spiritualis effunditur, cùm in loquendo modus non servatur. Inde Gregorius in Ezechielem & hæc verba: Cùm autem pertransissent septem dies &c. In eo, quod septem diebus mœrens sedit (nempe Ezechiel Propheta) & post diem septimum, verba dominicæ jussionis accepit, ut loqui debuisset, apertè indicat, quia eisdem diebus mœrens tacue-

sæcularibus: & abstrahis te à cunctis amicis carnalibus, & moribus mundanis propter spem beatitudinis æternæ. Item cùm non curas generis nobilitatem, nec quæris carnis voluptatem, nec divitias appetis, nec culmen honoris. Item cùm nec sæculi blanditiis mulceris, nec minis terreris, nec vituperio & laude humanâ movêris. In hoc contemptu fuit Apostolus, quando dixit: Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam. Ad contemptum mundi inducere te debet,

bet, quod tantam infidelitatem exhibet in fine dilectoribus suis. Nam & hoc factũ est Creatori à mundanis, quẽ in die palmarum gloriosè susceperunt, exeuntes obviam ei, & cantantes: Hosanna filio David, &c. Sed postmodum in sextâ feriâ, processerunt clamantes coram Pilato, Crucifigatur, Crucifigatur. Et cùm penderet in cruce, deridebant eum dicentes: Salva temetipsum, si filius Dei es. Et quem palmis, floribus, & frondibus susceperunt; virentibus spinis coronaverunt, virgis & flagellis

tacuerat. Missus autem ad prædicandum fuerat, & tamē septem diebus sedens tacebat. Quid est hoc, quod nobis Propheta sanctus innuit: nisi quia ille loqui veraciter novit, qui priùs bene tacere didicerit? Quasi enim quoddam nutrimentum verbi, est censura silentii. Hinc per Salomonem dicitur: Tempus tacendi & tempus loquendi. Non enim ait, tempus loquē-di & tempus tacendi: sed priùs tacendi præmittit temp⁹, & postea subdit loquendi. Quia non loquendo tacere, sed tacendo debemus loqui discere.

288. Anima mea, solitaria vivis, quando abstrahis mẽtem à solicitudine & occupatione actionum exteriorum, ab omni delectatione creaturarum: omnes affectiones, voluntates, & intentiones unanimiter (in quantum potes) dirigis in Deum, ut fias unus spiritus cum eo. Ad hoc adhortatur Esaias, dicens: Ingredere in Petram, id est, in divinitatem Christi: abscondere in fossâ humo, id est, in vulneribus Christi. Solitaria item vivis, quando tibi gravis pœna est esse cum hominibus: & ab aliis te abstra-

ſtrahis, quâcumque occaſione potes, juxta illud: Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine. Sicut Mariæ Magdalenæ pœna fuit videre homines, poſtquam Dominum JEſum ampliùs videre non potuit. Imò etiam videre Angelos pœnale illi fuit. Unde Angelis volentibus eam conſolari de receſſu Domini de ſepulchro, ait: Quęro Creatorem, & ideo mihi grave eſt videre creaturam. Ideóque fugit in eremū propter amorem JEſu Chriſti, triginta annis carens omni cibo & potu corporali: quā

Angeli levabant in aëra singulis horis ad orandum deputatis, in quâ oratione sumpsit animi & corporis nutrimentum.

289. Anima mea, vitæ cōtemplativæ sectatrix existis, quando colligis affectiones & omnes vires tuas, ad cognoscendum cum delectatione & admiratione mentis, aliquid de naturâ divinâ: scilicet de potentiâ, sapientiâ, bonitate, charitate, nobilitate, largitate, &c. In hâc contemplatione ineffabilis suavitas percipitur: admirabilis perfectio addiscitur:

Prin-

Principium omnis beatitudinis reperitur. Nam fons omnis beatitudinis ſummus Deus ibi cognoſcitur: Et quod cognoſcitur, hoc amatur: Et quòd verè amatur, hoc deſideratur, & pro eo obtinendo laboratur: Et pro quo ſtudiosè laboratur, hoc tandem acquiritur: Cumque tandem acquiſitum fuerit, cum delectatione interminabili poſſidetur. De hâc D. Bernardus. Quæ enim Anima ſemel à Domino didicit, & accepit intrare ad ſemetipſam, & in intimis ſuis Dei præſentiam ſuſpirare, &

quæ-

quærere faciem ejus ſemper: (Spiritus eſt enim DEUS: & qui quærunt eum, oportet eos in Spiritu ambulare, & non in carne, ut ſecundùm carnem vivant.) Talis, inquã Anima, neſcio an vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribiliùs pœnaliuſúe ducat, quàm poſt ſpiritualis ſtudii hujus guſtatam ſemel ſuavitatem, exire denuo ad illecebras, vel potiùs ad moleſtias carnis, ſenſuumque inexplebilem repetere curioſitatem.

290. Anima mea, diſcretio eſt Magiſtra omnium virtutum

tutum, ſtatuens omnib⁹ modum & ordinem. Ubi autem diſcretio non eſt, ibi charitas non ſervat ordinem, quid primò, quid poſtremò diligẽdum ſit: Nec modum, quid minùs, quid ampliùs diligendum ſit, novit. Neq́ue ibi ordo ſervatur, teſte D. Auguſtino: Ubi, inquit, nimium ſervatur humilitas, regẽdi frangitur Auctoritas, Eâdem de re ita ſcribit D. Gregorius. Sic autem ſervanda eſt virtus humilitatis, ut non ſolvantur jura regiminis. Ne, dum Prælatus quiſque, plus ſe, quàm decet, dejicit, subdito-

rum

rum vitam restringere, sub disciplinæ vinculo, non possit: Et sic servanda est disciplinæ severitas, ne dum plus, quàm necesse est, zelus accenditur, mansuetudo funditus amittatur.

291. Anima mea, congratularis Deo, quando ei congaudes in omni beatitudine & perfectione sibi innatâ æternaliter: Item de ordinati[illegible] cæli & terræ, & omniũ quæ in eis sunt. Et de omnibus operibus suis, à principio mundi usque ad finem sæculi: præcipuè de operibus incarnationis ejus, circumcisionis, passio-

passionis, resurrectionis, ascensionis, Spirit⁹ sancti missionis. Et de omnibus judiciis, manifestis & occultis, circa dæmones, circa animas in inferno, in lymbo, in purgatorio, & circa malos homines in mundo. Item quando congaudes Deo, quicquid laudis & reverentię habet ab Angelis & sanctis in cœlo, & ab hominibus in terrâ. Cõgratularis Proximis, quãdo congaudes singulis Angelis & sanctis de gloriâ in cœlo: Item peccatoribus de conversione: Justis de confortatione & gratiarum conserva-

ſervatione: Eccleſiæ de ſacramentis & donis Spiritûs ſancti. Utilitas congratulationis in eo emicat. Nam quicquid Deus Omnipotens perfectionis, bonitatis, & beatitudinis, in ſe naturaliter habet: quicquid gloriæ Angeli & ſancti in cœlo: quicquid gratiæ & virtutis in Eccleſiâ, & fideles habeat in eà, hoc totum proprium fit unicuique per congratulationem.

292. Anima mea, veram confidentiam habes, quando certa & ſecura es, qùòd bonus Deus ſuis ſemper præ-

ſens

ſens eſt in tribulationibus: & ſemper paratus eſt, ut eos à tentationibus liberet, & liberatos glorificet, juxta illud: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam, & glorificabo eum. Sic fuit cum Daniele in lacu leonum; Cum Noë in arcâ: cum Joſeph in ciſternâ: cum tribus pueris in camino ignis: & hos omnes beniguiſſimè liberavit. Item veram confidentiam habes, quando omnes preces tuas & omnia deſideria tua juſta non dubitas exaudiri. Nam D. Chryſoſtomus dicit: Si cum hoc ſtudio mentis acceſ-

ſeris,

ſeris, & dixeris: Non recedam, (ſcilicet niſi accepero) prorſus accipies: ſi talia poſtulaveris, quæ illum, qui petitur, dare deceat; & accipere tibi, qui precaris, expediat. Hæc virtus valdè laudabilis eſt, & magni meriti coram Deo. De quo hortatur Apoſtolus, dicens: Nolite amittere confidentiam veſtrā, quæ magnam habet remunerationem.

293. Anima mea, mundum contemnis, cùm abrenuncias rebus temporalibus, pompis ſæculi, dignitatibus & prælaturis ſpiritualibus & ſæcu-

cæciderunt. Et cui vestimēta in viâ straverunt, ante crucem omnibus vestibus nudaverunt, & spoliaverunt, & gloriam exhibitam in contumeliam mutaverunt.

294. Anima mea, carnem maceras, cùm spontè castigas corpus tuum jejuniis, vigiliis, orationibus, ciliciis, disciplinis, abstinentiâ cibi & potûs delectabilis, ut in omnibus caro spiritui subjaceat. Hoc fecit Apostolus, cum dixit: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Item, cùm non

non tantùm os & ventrem restringis à cibis, sed etiam linguam tuam compescis à verbis illicitis: & quinque sensus còerces à delitiis: & cor refrænas à cogitationib⁹ & affectionibus voluptuosis. Ex maceratione carnis, spiritus in negotiis spiritualibus roboratur, juxta illud Apostoli: Cùm enim infirmor (in carne) tunc potens sum (in spiritu.) Et contra ex mollitie carnis vigor spiritûs in spiritualibus hebetatur, juxta illud D. Augustini: Delicata caro, animam concremat, & consumit, sicuti ignis stipulā.

295. Anima mea, veram contritionem habes, cùm doles de omnibus peccatis commissis, & de omnibus bonis omissis, & de omnibus gratiis neglectis tibi & universitati, & etiam quæ occasione tui, committi vel negligi potuerunt. Item veram contritionem habes, cùm in tantum detestaris peccati immũditiam, quòd omnem pœnam purgatorii libentiùs eligeres, quàm quòd contra benignissimum Deum unquam peccatum aliquod efficeres: imò ad pœnam infernalem te potiùs exhiberes (sic

ut Eleazarus) quàm umquã de cætero, ex proposito aliquod peccatum committeres: & pœnam insuper omniũ Martyrum libentissimè sustineres, quod de cætero aliquod peccatum numquam perpetrares. Quod etiam eligendum esse, hisce D. Augustinus suadet. Cùm causæ articulus venerit, ut hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hâc vitâ emigrãdum: quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, comminante mortem persequutore, ibi eligat Deo dilc-

dilecto potiùs emori, quàm Deo offenso vivere.

296. Anima mea, confessio vera, est sincera peccatorum absque velamine coram sacerdote legitima manifestatio. Hanc præcepit Dominus, quando leprosis dixit: Ite ostendite vos sacerdotibus: Et B. Jacobus: Confitemini alterutrum peccata vestra. Confessionis efficaciam & utilitatem S. Aug: his verbis enumerat: Confessio est salus Animaû. dissipatrix vitiorũ: restauratrix virtutũ: expugnatrix Dæmonũ. Quid plura? obstruit os in-

 ferni:

ferni: & paradisi portas aperit. Item S. Ambrosius: Confessio animam à morte liberat: Confessio aperit paradisum: Confessio spem salvandi tribuit. Item Isidorus. Cōfessio sanat: Confessio justificat: Confessio peccatis veniam donat: omnis spes in confessione consistit: in confessione locus misericordiæ est. Nulla tam gravis culpa, quæ per confessionem non habeat veniam.

297. Anima mea, ad verā pœnitētiam te inducere debet necessitas. Nam sine ipsâ non est salus, dicente Domino:

no: si non pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Et D. August. Peccata, inquit, sive parva sive magna sint, impunita esse non possunt: Quia aut homine pœnitente, aut Deo judicāte plectuntur. Cessat autem vindicta divina si conversio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere: & eos, qui semetipsos judicant, non judicare. Quod si (dicit D. Chrysostomus) nō potes explere omnem satisfaciendi ordinem, tunc benignus Dominus qualemcumque suscipit emendam.

Tunc pro injustis rebus valet jejunium, si non potes restituere: si non potes jejunare, valet oratio: si non potes orare præ infirmitate, sufficit Deo bona voluntas.

298. Anima mea, non in unâ aut alterâ tantùm virtute excellere coneris, sed in cunctis, ut omnibus numeris perfecta efficiaris. Nam una virt⁹ sine aliis (teste Gregorio) aut omninò nulla est, aut imperfecta. Et paulò pòst: Prudentia, temperantia, fortitudo atque justitia, tantò perfectæ sunt singulæ, quantò vicissim sibimet conjunctę. Disjun-

junctæ autem, perfectæ esse nequaquam possunt: quia nec prudentia vera est, quæ justa, temperans & fortis non est. Nec perfecta temperantia, quæ fortis, justa, & prudens non est. Nec fortitudo integra, quæ prudens, tẽperans, & justa non est. Nec vera justitia, quæ prudens, fortis, & temperans non est.

299. Anima mea, perseverantia vera, est in bonis operibus frequens exercitatio, continuum studium ad perfectionem, spiritualiumque gratiarum & virtutum diligẽtissima usque ad mortem ob-

servatio. Ad hanc invitat te Dominus in Apocalypsi: Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Ad hanc invitat Augustinus fratres in Eremo, dicens: Fratres mei, sicut ait Apostolus, non potest coronari, nisi qui legitimè certaverit. Nullus enim legitimè certat, nisi qui in campo usque ad finem certet: & si certat usque in finẽ, legitimè certat, ideo meritò coronatur. Non est igitur magnum bonum inchoare, quod bonum est: sed cõsummare, hoc solùm perfectum est. Multi enim magna aggrediuntur

diuntur, sed deficiunt in viâ. Multi exeunt in desertum, sed pauci perveniunt ad terram promissionis. Et paulò pòst: Perseverantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit conductos ad portum. Hæc est tunica talaris Joseph, usque ad finem contingens. Hæc est tunica sacerdotalis, usque ad pedes perveniens. Hæc est cauda hostiæ, quam tenemur reddere Deo, & offerre. Hæc est calcaneum bonæ operationis, quod contra serpentis mor-

morsum debemus observare. Hæc est virtus, quæ Deum ligat. Hæc est, quæ omne bonum informat. Hæc est perseverantia; quâ laureantur Martyres, quâ Virgines coronantur, quâ sacerdotes sublimantur & Confessores. Hæc est vestis sine rugâ, tunica sine maculâ, bonitas sine malitiâ. Ibidem in fine: Multorum est incipere, sed perseverãtium parvus est numerus.

Laus DEO, Deiparæ ac omnibus Cœlicolis.









